COTHURNUS SOPHOCLEUS.

Scripsit

Albertus Lindner
Dr. phil.

Berolini MDCCCLX.

Sumptibus A. Vogel et soc.

COTHURNUS SOPHOCLEUS.

Scripsit

Albertus Lindner
Dr. phil.

Berolini MDCCCLX.
Sumptibus A. Vogel et soc.

Verus poeta nos tractat, neque nos poetam.

L.

BOECKHIO

sacrum.

Praefatio.

Philologum fieri duplici via licere video. Alteram sequens singula colliges, quo totum quaeras; e specialibus ascendes in generalia. Ante omnia eris bonus grammaticus, tum, si sensus et ingenii aliquid in te inest, rei tuae criticus atque aestheticus. Altera, et insolentior quidem, via ordine utitur inverso. Ex universalibus in specialia introducit. Quam qui sequitur, inprimis artium judex est ex animo, tum grammaticus fit e studiis. Tamquam aedificii ingentis particulas interiores novit alter, antequam aedificium ipsum possideat, alter jam in ejus est possessione, antequam interiora plene cognoverit.

Viarum posterior est mea, neque cogito ob hoc mecum stomachari. Ipsa harum dissertationum progressio indicabit, qualis mihi stet ratio. In legendis cujusvis populi poëtis illa semper ducebar opinione esse locum quendam contemplationis celsissimum, e quo singulae res in uno eodemque poëta vel contumacissimae sub totum quoddam subjici atque ex fonte universali derivari possent. Nihil enim in homine humanius video, quam quod omnium, quae eminent, mensuram quandam quaerimus, metiendoque illa sen-

sibus nostris studemus adducere. Hinc est, quod poëtas commodius capiendos in certos modos e nobis ipsis depromtos et ad canones usu receptos redigere malumus, quam insolentia, ne peccata dicam, agnoscere. Quam ob rem nihil magis necessarium videtur, quam ut totam poëtae summam instrumentumque quo manifestatur — linguam dico — perspicue percipiamus et singulas sermonis partes ex illis legibus ortas esse exponamus, e quibus poëta, utut nobis occurrit, unus tamen et idem semper appareat. Quae de tragicorum dictione scripta extant, aut grammaticae tantum singulas quaestiones tractant, aut solas opiniones ex editoribus congerunt, omni propria explicandi ratione conspectuque rerum liberiore destituta. Molam audio, non video farinam. De quibus G. Hermannus, Qui nihil, inquit, praeter verba et canones in antiquis scriptoribus venantur, his, quod ultra est, oderunt curare.

Scripserunt autem Schneiderus Vimariensis (de elisione et crasi), Kühlstedtius (de hiatu, crasi, elisione, aliis), Benlovius Parisinus, generaliora quidem amplexus, sed neque levitate neque vitiis carens.

Per longum tempus non mediocriter id agebam, ut poeticas naturas tragicorum Graecorum perspicerem, ne singula eorum perverse interpretarer, aut, ut hodie fit saepius, statim corrupta haberem. Nunquam enim, quae traduntur, tantum infestata et labefactata sunt, quantum nostris diebus. Quas injurias Sophocli intulit Schneidewinus (ut item in illius editoribus novissimis), praecipue ex causis exegeticis; quas Nauckius addidit, praecipue e criticis emanaverunt. Rarissimo fit, ut in uno et eodem critico viro studia metrica et gramma-

tica una ire ac sine dissensione simul agere videamus, nedum ut disciplina quam nos dicimus aestheticam (proh nomen infaustum ac male famosum!) numerum aliquem et honorem unquam potuerit impetrare. Id autem verissimum critices munus esse mihi videtur, ut poetam ipsius mensura metiamur atque eorum, quae nostro sensui discrepant, explicationem ex ipso poëta depromere sciamus. Itaque in iis, quae sequuntur, nihil antiquius me habuisse reperies, quam ut munirem quae traduntur, quoad sana cum ratione muniri possent, atque quae Sophoclis sunt solius, ex solo Sophocle enodare conarer.

Tantum quidem abest, ut propositum meum me assecutum putem, ut interim ligna duntaxat quaedam singula aedificatori fani totius futuro dedolare fortasse valuerim: sed si quis rei conspectui ac rationi universae, qualem in poëtis tractandis secutus sim, comprobationis aliquid non denegaverit, ego in hoc libello operam non perditam potero arbitrari.

In numeris versuum adscribendis Schneidewini editionem sequar.

Conspectus capitum et paragraphorum.

De graecarum litterarum historia, dramate, lingua.

§. 1.

Res graecae quoddam unum ac totum.

Nullam rem unquam natura legum suarum necessitatem aeternam in procreando secuta in membris articulisque ita effinxit totam, ut Graecorum nationem effloruisse videmus. Litterarum igitur historiae forma, quum quasi pars tantum totius corporis sit, ea erit justissima, quae partes ex toto considerat; ac nihil ineptius quam opinari, historiam archaeologicam, politicam, litterariam mutuo sese excludere. Porticum templi cujusdam, vel unam columnam mihi depingere susccepturus tu, precor, non tam prope ad eam accedas, ut non aspicias tectum, sed ad id loci recedas, ubi aedificium totum uno conspectu amplectaris. Quare ea tantum litterarum historia vera videtur, quam Bernhardyus sub titulo 'interioris historiae' describere primus conatus est, seriem autem nudam quandam vitarum et operum si historiam litterarum vocabis, nobiliore eam quam justiore nomine ornabis.

§. 2.

Genera poesis qua via nascantur.

Est autem ille naturalis rerum progressus in omnibus populis conspicuus, ut ingenio liberali studia interpretum operosa, poesi prosam, tragicis Aristotelem, Alexandriam — Athenis succedere videas. Nec solum summatim et generatim apud Graecos, sed usque ad singulos minimosque campos illum verum decursum esse factum miramur. Ita enim mecum considera, ut τὸ ἔπος, narratio, prima sermonis forma sit puerilis aetatis, quae, manu deorum duce, inscia sui aliorum gesta confabulatur. Paullatim tamen homo sui conscius

factus oculos in suum ipsius dejicit pectus, ubi mundum in mundo alium se repperisse miratus primum de se ipso cantum emittit. Denique eo audaciae progreditur, ut ipsum hominem arripiat ὁ περιφραδὴς ἀνήρ*) ac temerarie eum artis suae sibi sumat materiem. Quae olim narravit, iterum fieri jubet in scena; ipse autem pone opus suum recessit nobis non amplius cernendus. —

Itaque drama est totius nationum cultus quasi culmen, nusquam tamen admiratione magis dignum quam apud Graecos. Quum enim apud ceteros antiquitatis populos initia tantum levissima ejus appareant (Hiob, canticum Salomonis, Mahabharatae embolia quaedam dialogica; — quis enim in dramate Calidasano auctoritatem Graecorum nihil valuisse pro certo contendere poterit?): apud Graecos e rudi tanquam trunco τοῦ κώμου Dionysii circa Ol. 72 surculum mirum subito videmus erumpere, crescere, tumere floribus, denique quasi palmam magnificam extare drama. Sed rapide ut adolevit, ita ejus historia vix centum annis absolvitur, formarum tamen omnium ne una quidem non patefacta.

§. 3.

Lingua qua via.

Quin etiam linguam simili procedendi constantia natam esse atque excultam monstrari potest. Ab initio enim ut homines feris moribus atque insociabili suo quisque arbitratu vitam degunt, ita lingua eorum (quod adhuc apud omnes feros populos observari licet) notiones et cogitationes, vixdum in pectore natas, sonis naturalibus profert, aliam ab alia abrupte disjunctam, implacabili modo sua quamque libertate innisam. Quod quidem loquendi genus ullum quod permanserit opus procreare non valuisse facile est intellectu, quare ex illis aetatibus litterarum monumentorum extat nullum. Paullatim vero et homines et lingua societatis necessitatem sentire, alius alii conciliari, orationis membra una ire et applicari, παράταξις fieri. Denique ut inter homines hujus de qua dicimus aetatis is, qui comes fuit, evadit princeps eoque civitas bene ordinata prodit, sic etiam orationis partes disciplinam quandam obsequium-

*) Ant. 347.

que mutuo exercere incipiunt, denique in *syntaxi* quasi παιδείαν absolvunt.

Quod ad tempus attinet, quo lingua litterarum primitias procreavit, (quae sunt Homerica carmina apud Graecos), illa aetate id factum videmus, qua a parataxi ad syntaxin transitura erat; quae res apud Homerum jam ex potestate articuli inter demonstrativum et articulum proprie dictum fluctuantis, e vi praepositionum saepissime adverbiorum locum tenentium, e multis aliis facile potest intelligi.

Utique autem tali illo naturali rerum decursu efficitur, ut in omni poesis genere, quis invenerit, nequeas affirmare. Neque enim Epigones Sicyonius in tragaedia hoc fecit, neque Thespis, neque Choerilus, sed natura singulis his tanqnam instrumentis usa, artes plantarum ratione crescere jussit. Qua de causa nihil aliud valebis nisi rationem mihi monstrare, qua pars parti accreverit. Tam epos Homericum quam tragoedia populum totum ita habet auctorem et patrem, ut filius vice fungantur ingenia singula, quibus aetatis semper summa continetur.

De Aeschyli et Sophoclis arte scenica.

§. 4.

Dramatis Aeschylei natura.

Res mihi proposita ita fert, ut de Sophoclis stilo dicturus respiciam solum Aeschylum praecedentem, quippe qui ad Nostrum valuerit, neque Euripidem sequentem artemque ubi Sophoclis reliquit excipientem.

Primis autem lineis adumbratae personae Aeschyli cernuntur, ut illae Germanicorum carminum heroicorum figurae, quae ob vastitudinem modorum, non ob singularum partium diligentiam admiratione nos afficiunt. Titanes sunt, et daemones et heroes, quos Graecorum drama a principio effinxit. Nam quum novum esset nuperque inventum, ei quasi jus consistendi ac vivendi eo obtinendum erat, ut formas ingentes materiasque insolitas sibi quaereret stu-

poreque et admiratione homines obrueret — illa cum simplicitate liberorum, qui quo magis mira narrent, eo facilius fidem se habere putant. In mundo illo Aeschyleo dominante vi jus est penes arbitrium atque eventum. Abest adhuc civitatis legumque tutela, quam quidem poeta in postremo demum operum suorum instituit, deos faciens jura condentes in Areopago.

Quamvis aegre a nobis impetremus, ut Sophoclis et Euripidis personas animo cogitemus 'grandi nisas cothurno' quadamque mimicae gravitate exstructas, e contrario Aeschylea *πρόσωπα*, si in vulgari hominum mensura prodiissent, cum sermone suo grandiloquo mire discrepuissent, planeque ridicula fuissent.

§. 5.

Actio.

Quum ars mimica apud eum parum exculta, et animi affectiones, si verbo est venia, adhuc *statariae* sint, corporum habitus non multum motus ac perturbationis ostendit, quare Prometheum vel vinctis artubus primas partes agere videmus. Hos autem personarum mores mira specie imitatur earum oratio. Abhorret ea a periodorum rotunditate sicuti homines ab elegantia morum. Affectus, ut validissime nascuntur, sic effunduntur asyndetis duris et imperiosis, anacoluthis asperrimis, pressissimis oxymoris, nunc incise in exigua cola erumpunt, nunc profusius in ingenti verborum ambitu provolvuntur. Profecto membrum orationis quodque tibi prodere videtur, quam vehementer de libertate sua luctetur quamque difficile syntaxeos jugo submittatur. Unde illae enallagae casuum, generis, numeri, unde illi casus absoluti, unde illud loquendi genus *adversativum*, *copulativum disjunctivum*, nec vero *causale*, *conditionale*.

§. 6.

Aeschylus igitur, quum plasticam artem, qua Graeci tantopere delectabantur, nondum in actione collocaret, eam in cogitationes delegavit, potiusque in ea quae narrantur et extra scenam fiunt, unde magis cogitando quam videndo spectatoris animum occupat, atque ita quidem, ut pingi

statim posse cogitata putes. Sequantur exemplorum nonnulla. Ag. 627: ναῦς πρὸς ἀλλήλαισι πνοαὶ ἤρεικον· αἱ δὲ κεροτυπούμεναι βίᾳ ᾤχοντο ποιμένος κακοῦ στρόβῳ. — Ἱκετ. 790: ἢ λισσὰς Αἰγίλιψ ἀπρόςδεικτος οἰόφρων ἐρημὰς γυπίας πέτρα ... — Choeph. 658: νυκτὸς ἅρμ' ἐπείγεται σκότεινον, ὥρα δ'ἐμπόρους μεθιέναι ἄγκυραν... Cfr. etiam totum iter illius ignis nuntii Ag. inde a. v. 281, quanta cum plastica vi referatur.

Vides, opinor, qua ratione natura thesaurum suum aperiat ad eorum, quae poeta animo cogitavit, faciem sensibus subjiciendam. Epithetorum talium quodque quasi caeli caesio est, qua clare et clare magis imago e gleba excidatur.

§. 7.

Versus Aeschylei.

Itaque etiam versus suos, quum actionem in scena praesentem parum adhuc describant, Aeschylus ut versus per se tractare, plenamque iis rotunditatem tribuere potuit. Nihilominus, quae res mihi mirae pulchritudinis est, in metri vinculis, ut in alveo alto torrentem, ita orationem rationes mutuas aspernari et effrenata profundi videmus. Eam enim tantum poesin dicere artem poteris, quae, ne animi libertatem laedat, nonnisi in vinculis scit bacchari.

§. 8.

Aeschyli dorica natura.

Sed fortasse quis locos quosdam mirabitur, ubi sermonis pompa et grandiloquentia ad genus paene quotidianum descendat. Huc spectant verba custodis, quae fabulae Agam. sunt prooemio, et nutricis in Choeph. 740—763, socco sane quam cothurno aptiora. Atqui cui talia parum videntur esse Aeschyli, is profecto poetam nondum cognovit. Mihi quidem plus habent psychologicae quam dicunt veritatis quam voluerim. Et quum sciamus, quo tempore Orestiam ille cecinerit, quid obstat, quominus rem ita se habere credamus, ut aetatis suae conditionibus cesserit et ad homines quotidianos, quamvis ingenio suo alieni essent, tandem descendere sit conatus? Hujusmodi enim ingenia, cum jam paullulo ex altitudine sua decedunt,

eo altius statim cadunt. Si dubitas, mihi exponas, quaeso, qui factum sit, ut, quum apud solos Jones et tragoedia et comoedia nasci summumque fastigium ascendere potuerint, Dorica gens, illa cum sua indole austera ac difficillima, eam unice, et humillimam quidem, adamaret comicam, quae motibus corporis quibusdam deformibus, distortione ac depravatione artuum risus captat*). Quibus quidem naturis nihil medium est et 'dum vitant vitia, in contraria currunt.' Sola autem Jonum natura illa erat fortunata ac felicissima, quae ubique modo usa justissimo vires suas pulcherrime temperaret. — Non quo Aeschylum a Sophocle ita differre dicerem, ut alter ex Doribus, alter ex Jonibus ortus esset! at si Aeschylo tribuo Dorici aliquid, quis putet, nationes Graecas ita exacte a natura moenibus septisque fuisse separatas, ut earum indoles mutuo in singulis hominibus permutatas non reperiat?

Transeamus ad Sophoclem.

§. 9.

Sophocles et ejus aequales.

Et bene scilicet cavebo loqui de apicula quadam Attica, de poetarum ὁμηρικωτάτῳ, de ejusmodi aliis, quibus mirum quantum qui utuntur dixisse sibi videntur. Ubicumque enim poetae Attici imitantur Homerum (quod, ut cum Boeckhio loquar, faciunt, non ut lateat, sed ut pateat), id facile mecum interpretaberis ex illo more Atheniensum, de quo Thuc. III, 38 commemoravit. Nihil enim facilius esse dicit quam Athenienses illius aetatis novitate et insolentia loquendi decipere. Usitata ac trita eos respuere, servire miris, oratori mente praecurrere, rei speciem adumbratam magis quam rem aperte expositam adamare cett. — Itaque spectatores, quum verba poetae notissimi audiebant, gratissimum id acceperunt, quippe quod eruditioni suae politae mirum quantum blandiretur.

*) Ejus generis habes Spartae illos δεικηλικτάς, Megarae Maesones, Tolynos; quorum ludos, e Peloponneso per Siciliam in Italiam tralatos, bene novisti sub nomine Atellanarum. Sic etiam Epicharmum Siciliensem scrupuli non ita punxerunt, quin etiam philosophicas disputationes Maccis suis et Pappis intersereret.

§. 10.

Ex iis autem quae de Sophocle apud veteres judicata reperiuntur, id inprimis de quo reputemus dignum videtur, quod habemus apud Plut. de prof. virt. p. 252: "Ὥςπερ γὰρ ὁ Σοφοκλῆς ἔλεγε τὸν Αἰσχύλου διαπεπαιχὼς ὄγκον, εἶτα τὸ πικρὸν καὶ κατάτεχνον τῆς αὑτοῦ κατασκευῆς, τρίτον ἤδη τὸ τῆς λέξεως μεταβάλλων εἶδος, ὅπερ ἐστὶν ἠθικώτατον καὶ βέλτιστον. Ita enim scribendum. Nec verbis lumen addiderunt, qui correxerunt 'διαπεπλακώς' aut 'διαπεπλιχώς', et porro 'τὸ τῆς ποικίλης λέξεως' ...

De διαπαίζειν cf. Plat. legg. 769a. παιδία μέχρι δεῦρο διαπεπαισμένη. Est igitur non verspotten, sed durchspielen, zu Ende spielen. Sophocles dicit Aeschyleum tumorem fuisse juventutis suae, nunc autem ingenio adoleto jam nihil eum morari. Porro autem inest sententia, illum ὄγκον, Aeschylo quidem insitum et ingenuum, sibimet fuisse alienum itaque cecidisse in ludum. Et quid simplicius quam quod juvenis poeta quid ipse valeret inscius, praecedenti magistro innitebatur? Adolescentes quantopere tumorem in poesi admirentur ac sectentur, nemo nescit. Quousque igitur Lessingii illud, artem non esse docendam, in Sophocle valeat, est apertum.

Tumor igitur ille Aeschyleus primam Sophocleae poesis aetatem significat.

§. 11.

Sophocleae poesis aetates.

Nam illo in loco Plutarchi, id quod nemo adhuc plane exposuit, totam historiam poesis Sophocleae contineri breviter demonstrabo. Ac sive vere ipsius Sophoclis, sive alius auctoris verba sunt, tamen verissima sunt, ultra quod nihil curo. Postquam enim in Aeschylo educatus est Noster, ac suis pedibus insistere didicit, alteram (εἶτα ...) aetatem ingressus, suam ipsius (hinc αὑτοῦ) austeritatem et calamistros exercuit, quae naturae suae maxime propria atque nativa fuisse infra ostendam. Denique (τρίτον τὸ τῆς ...) stilum invenit tragoediae suae aptissimum, quem, natura quid putas quantopere repugnante, fecit suum. Sed tragoediarum quae extant jam nulla auctoritatem

Aeschyli quandam ostendit omnesque sibi fere aequabiles conspicimus. Quod autem in Antigona, Electra, Oed. rege acerbius aliquid et obscurius animadvertunt, ad alteram jam poesis suae aetatem erit referendum*).

Stilus duplex fabulae Ajacis.

*) Stilus ille planus et oratorius, quem extremae partes fabulae Ajacis ostendunt, posterioris aetatis esse videtur. Bergkius illa esse spuria, fortasse Jophonis, censuit, mihi quidem minime veri simile. Ut ex ungue leonem, ita Sophoclem e versuum unoquoque! Rem ita mihi disposui. Poetae quum accidisset ut a primo initio illud Ajacis argumentum in fausta manu disposuisset, taedium repente cepit operis consummandi. Posterioribus annis, ut certe scenicae necessitati spatium fabulae accommodaret, lites illas de Ajace sepeliundo Musa invita adjecit. Locum fabulae illum, qui partem posteriorem a priore segreget, certo mihi conspicere videor inde a v. 974. Tanta cum constantia, sicut opus accurate coagmentatum, persona Tecmessae descripta videtur, ut adstricta illa et pressa poetae juvenis προςωποποιία a verbositate scenarum sequentium oratoria illo loco perspicue disjungatur. Quid autem vitii tandem est in fabulae dispositione? Nescio hercle, quid ad illam dijudicandam melius faciam, quam recentioris poetae fabulam simillima ratione dispositam cum nostra comparare. Julium Caesarem Shakespearii dico. Et illic et apud Sophoclem prima persona jam tertio actu exeunte, fato oppressa decedit. Tantum autem abest, ut utraque fabula primas suas partes mutet, ut in priore parte utriusque perinde atque in posteriore eadem semper persona maneat prima. In Britanni fabula id efficitur hoc, quod manes Caesaris animos interfectorum agitant et ita quasi nemeseos munere funguntur. Tota harum partium summa inest in verbis: Philippis tibi occurram! — Caesar quidquid in rempublicam peccavit, sanguine suo quidem abluit, simul tamen, id quod exspectamus, efficit, ut interfectores dent poenas. Satis gravis, opinor, cogitatio et quae per duos actus deducatur dignissima. Quid cum Ajace? Postquam naturae humanae dignitatem illa rabie dehonestavit, mortis debitum ei nullo pacto potest condonari, nam αἰσχρὸς βίος οὐ βίος. Sed propria manu moritur, neque alium hujus rei socium habet. Κάθαρσις igitur efficienda non erat eo, ut aliquid in Ajacem commissum lueretur, sed ut ipse Ajax, quum sponte et ultro daret poenas, purgaretur honoresque perditos honestissima humatione ei restituerentur. Cujus rei gravitas sane nullo modo cum illa fabulae

§. 12.

Τὸ πάθος lex in Sophocle principalis.

Momentum gravissimum tragoediae Sophocleae id esse videtur, quod fatum, quum apud Aeschylum extra hominem dominetur in rebus, intra animos collocavit ac tripoda oraculorum, ut ita loquar, in pectore humano constituit. Ergo animi affectus, quum ex ipsis personis sortes earum penderent, coloribus subtilioribus imbuendi erant atque tenuibus parvorum discriminum umbris describendi. Homines Sophoclis sunt vitae communis, sed quantum modi exterioris amiserunt, tantum vis interioris acquisiverunt. Quod ad exprimendum quum non amplius Aeschyli ampullae sufficerent, orationem quoque ad vitam quotidianam magis descendere, dociliorem fieri, flexionis varietatem sibi quaerere oportuit, ut psychicas quas dicimus subtilitates in progrediendo diligentissime observare — quid multa? ut instrumento esse posset *τῷ πάθει*. Jam id vero est, ex quo omnes dictionis rationes nobis erunt considerandae.

§. 13.

Dion. H. et Longin. quid judicarint.

Perbene de hac re judicarunt verba quaedam apud Dion. Hal. (Vett. scriptt. II. 11.): *Σοφοκλῆς μὲν οὐ περιττὸς ἐν τοῖς λόγοις* (h. e. *οὐχ ὡς Αἰσχύλος ὀγκῶν, οὐδὲ ὡς Εὐριπίδης κατάτεχνος καὶ ῥητορικός*), *ἀλλ' ἀναγκαῖος* (h. e. indoli et moribus personarum omni momento accommodatus). Quem stilum e morum notatione pendentem minime intellexit Longinus, qui *Ὁ δὲ Πίνδαρος*, inquit, *καὶ ὁ Σοφοκλῆς ὅτε μὲν οἷον πάντα ἐπιφλέγουσι τῇ φορᾷ, σβέννυνται δ' ἀλόγως πολλάκις καὶ πίπτουσιν ἀτυχέστατα.* Atque sensu non magis poetico Dion. Hal. Nostrum animadvertit nunc in inanem tumorem incidere, nunc ad sermonem plebejum decurrere. Senserunt quidem

---

britannicae conferri potest. Utique autem rixae Atridarum longius extenduntur, atque alteris aut alteris eorum partibus omissis fabulae ipsi nihil momenti ademeris. Perbene id sensit poeta, et ut scenae gratia posteriores partes adjiceret, id certo aegerrime a se impetravit, quamvis nihil magis Sophoclis esse possit quam personarum, praesertim Teucri notatio lucidissima.

stili illius naturam duplicem, sed rem utroque supra modum extenderunt.

§. 14.

Dudum observatum est Sophoclem non tam nova fingere verba (quod item fortasse ei acciderit aetate illa τοῦ διαπαίζειν) quam obsoleta et inveterascentia in honorem restituere, usitata vi nova implere. In Sophocle enim illud inerat, ut usum tyrannum, 'quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi', vehementer odisset, atque omnia quae erant trita et ἀεὶ ὑμνούμενα (Aj. 292) aeque ac mulieres apud eum illae ingeniosae Tecmessa, Electra, Antigona, respueret. Nec novam sibi peperit sermonis materiem, sed quae praesto erat, eam nove miscuit ac temperavit. Aliud est eique maxime proprium antithesium ac brachylogiae studium.

Nullus poetarum Graecorum minus dedit quam habuit*). Quod autem Thuc. dicit Athenienses illius aetatis nova in dicendo adamasse, magis obscuris ac suppressis quam patefactis esse delectatos — hinc minime colligendum est, Sophoclem civibus suis indulsisse ad gratiam eorum sibi parendam, sed ipsum in his poetam conspicimus, quippe qui, seu vult seu non vult, aetatis suae sit speculum.

Nonnunquam autem tam pressa est ejus oratio, ut Ciceronis quoddam de Thucydide dictum spectare ad Sophoclem putares: Neminem scire utrum res oratione an verba sententiis inlustrentur. Intelligisne, dicit, sensum, si verba, an verba, si sensum novisti? Versus Sophoclei vi sententiae tantopere turgent, ut nihil ultra ferre posse videantur. Contra ea conferas, quantopere Euripidis versus laborent ut terendo et extendendo sententiam expleant metrum.

§. 15.

Rationes pleonasmi et brachylogiae.

Sed jam videndum est, illa poetae proprietas ubi emineat, ubi recedat. Quum explicandi personarum mores non, ut apud Aeschylum, mutuo sese excludentes instar

*) Le secret d'être ennuyeux c'est de tout dire!

Voltaire.

parallelorum procedant, sed potius luminum suorum repercussu alii ex aliis illustrentur (et novatorem si hace in re Sophoclem velis nominare, non adversabor): eodem modo structuram orationis composuit et brachylogiam pleonasmumque ita miscuit, uti morum notatio secum ferebat. Pleonasmo autem utuntur homines loquaces ac simplices ut Ajax, Philoctetes, nuntii, aut animi perturbati, quos verba statera examinare non expectabis. — Orationis pressioris campos habuerim melicas partes, locos communes, aut quae quietiore tenore enuntiantur. Inde primum efficitur (quod Auctor vitae miratur) ut parvula sententia vel uno hemistichio tota persona describatur, velut Antigona tota in duobus versibus illis Ant. 472 et 88; deinde ut personae sibi contrariae componantur, quo altera ex altera illustretur, ut Antigona et Ismena — Electra et Chrysothemis — Odysseus et Neoptolemus. Porro Ajacis probitas Atridarum nequitie, Oedipi irae praecipites fronte quieta et ludificatione Creontis clariora redduntur. Sed ubi affectus diligentissime ex lege ethopoeesis sunt depingendi, oratio nunc est simplex et sincera (Theseus, Oedipus senex! Vid. Herm. ad O. C. 1379) nunc animosa (Antigona ubi querelas precesque edit!) gravis (Oed. rex!), familiaris (nuntii! multa Philoctetis;) plerumque sub hac ratione pleonastice ficta.

Quam cito huic et illi versui uncos injiciunt, uti catenas malefico, quia sermonis rotunditatem perturbet! Sed anxia Dejanira, asperrimus Ajax, Philoctetes ab humano cultu tamdiu abalienatus, Oedipi regis ira praepropera — quantulum curent artem dicendi, haud sane multum curant interpretes. Et si tragoedias illas agi videres, quid putas quam longe alia luce multos versus conspiceres?

§. 16.

Alia inter Aeschylum et Sophoclem discrimina attinguntur.

Quum facienda et agenda e scena rejiciantur solumque narrari sinantur, necesse est verba ipsa sint facta; itaque quae homines agunt, quatenus a spectatoribus cernuntur, agunt loquendo. Apud omnes quidem tres tragicos fit, ut oratio plus significet quam pronuntiet, attamen ingens est distantia inter Aeschylum et Sophoclem ea,

quod linguam adhibebat ille, ad actionem ex universitate sua pingendam, hic ad momenta ejus singula exprimenda, qualia semper ex animorum statu pendeant*). Quum personarum Aeschylearum affectus non tam partes artificiose compositas ostendant quam ex universitate quadam cernantur, oratio quoque non ex partibus parvis accurateque caelatis sed ut moenia Cyclopia e magnis molibus sine caemento videtur esse exstructa. Dialogus Aeschyli adhuc nullus est, sed quaedam alternatio versuum aequabilium quasi ex pacto convento exorta, minime autem illas quas Hesychius dicit ἀντιλαβὰς jam experta. Chori et diverbii fines adhuc tam incerti atque confusi sunt, ut illum vel primas partes (Ἱκέτιδες) aut certe alteras (Eumen.) agere, itaque actionem trunco, ex quo nata est, artissime se circumvolvere videamus. Trimetris apud Aeschylum fere ubique animi aequabilitatem epicumque quendam tenorem servantibus, affectus plerumque habent locum in melicis partibus, id quod Sophoclem plane invertisse videmus. Hujus poetae chorus ex actione segregatus trimetros reliquit affectibus, quare versus jam longe subtilius ac magis varie oportuit componerentur.

Actiones symbolicae.

*) Operae pretium fore puto, si quis, quanta cum sapientia veteres poetae actionem non tam vere quam symbolice effinxerint, nobis planius sit expositurus. Commoneo prae ceteris illius scenae in Agam. Aeschyli, ubi Clytemnestra maritum ex Asia reversum impellit ut in stragulo purpureo pedem ponat. Haec in actione fortuitum tantum fabulae momentum contineri apparet. Sed quantum in Agamemnone notando momentum! quum enim in fabula ipsa Agamemnonis culpa existat nulla, sed ante fabulam poeta eam collocaverit: hac de causa Aeschylus regem uxoris illecebris superatum fecit stragulum transgredientem eoque noxium et superbiae illiusque ignaviae, quacum filiam aliquando in Aulide immolaverit nos admonitos vult poeta. Talium actionum symbolicarum, quae quidem per se ipsas valent, sed *graviora significant*, multae in tragicis possunt notari.

§. 17.

Gradationes inter tres tragicos.

Corollarii instar quasdam gradationes, quibus inter se tres tragici distent, congerere liceat. Quas ad faciendas eo facilius allicimur, quo magis omnem rerum Graecarum progressum tam sibi constanter ac naturae convenienter factum videmus. Id quidem jam Dio Chrys. aliique veteres fecerunt, stilo Aeschyleo tribuentes *το αὐϑαδὲς καὶ ἁπλοῦν*, Euripideo *τὸ ἀκριβὲς καὶ δριμὺ καὶ πολιτικόν*, Sophocleo *εὐπρέπειαν καὶ ἡδονὴν μετὰ ὕψους*.

Schlegelius Aeschyli dictionem dixit elatam, Sophoclis pulchram, Euripidis lepidam.

Cogitationes et versus Aeschyli cum architectura Dorica, Sophoclis cum Jonica, Euripidis cum Corinthia contulerim.

Archaismi apud Aeschylum naturales sunt, quia nativi. Sophocles sana cum ratione, Euripides paene solum ostentationis causa iis utitur. Chorus Aeschyleus cum fabula cohaeret agendo, Sophocleus considerando; Euripideus non nisi parergon est et ornamentum fortuitum.

Fatum ut numen quoddam exterius finxit Aeschylus, de quo cum populo credebat religiose. Sophocles ut psychica ratione id explicemus ubique permittit. Apud Euripidem jam nonnisi formidinis larvaeque inanis habet locum.

Ceterum cave ne verba quae sunt apud Arist. Poet. 26, 11 *Σοφοκλῆς ἔφη αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδης δὲ οἷοί εἰσι* — vertas: Sophocles dixit sese finxisse homines quales esse deberent, Euripidem quales essent.

Ἀριϑμὸς λόγων! nisi patrio sermone subtilius ita discernere licet: Wahre Menschen und wirkliche. Quod quidem spectat ad humanam naturam aut adhuc sinceram et integram aut aetatis artibus et auctoritate jam fucatam; id enim est ipsum, quo Sophoclis personae ab illis Euripidis distare videntur.

De dialogo Sophocleo.

§. 18.

Aeschyli dialogus.

Sophocles quantum in arte dialogica prae Aeschylo profecerit, jam supra summatim attigimus. Discrimen summum est in utriusque poetae προσωποποιΐᾳ, cujus processum et expositionem apud Aeschylum cum lineis parallelis, apud Sophoclem cum iis quae decussantur, comparavi. Id autem omnibus temporibus fuit perfectae tragoediae, ut personae ejus lumina umbrasque invicem efficiant aliaeque in aliis explicandis valeant. Homines Aeschylei rigide in se ipsis positi moribusque aliorum aegerrime sese aptantes, etiam oratione utuntur tali, cujus structura rarissime adversarii verbis continuatur, sed in propria conformatione insistens sententiam una cum versu absolvit. Abest igitur usus subtilior vocabulorum ἀλλά, γάρ, ὥστε, aliorum, quibus sententiae inter se connectuntur, abest participiorum ethica quae apud Sophoclem est potestas. Id adeo animum advertas, personas, si interpellantur, tamen in sequentibus versibus rigidissime procedendo enuntiationem consummare. Ita Ἱκέτ. 457, 59, 61, Sept. ad Th. 805—11. Ceterum haec forma dialogi abrupta et ἀσυνάρτητος in postremo opere Orestiae, fortasse jam Sophoclis usus exemplo, aliquantum remissa videtur.

§. 19.

Sophoclis dialogus.

Dialogus Sophoclis proprium tenet locum in stichomythica loquendi forma. Homines dum sui satis compotes sunt, totis versibus colloquuntur; affectibus autem crescentibus incipiunt ἀντιλαβαί, versum in duas, tres, quattuor partes dividentes. Quae animi summa intensio, brevibus tantum exclamationibus erumpens, tandem resolvitur per quietiores aliarum personarum trimetros, semel, O. C. 830, affectibus jam in dochmiis fastigium assecutis, per tetrametros troch. Thesei regis.

§. 20.

De tetrametri troch. ingenio.

Hunc versum cur metrici veteres et recentiores (cf. Herm. el. d. m. p. 81) animum commotum exprimere dicant, equidem

non video. Illud ipsum enim est metrum, quocum Atossa primo prodit in scenam, quocum ipsa cum Dario colloquitur, quocum Agamemnon Aeschyli, quocum Oedipus rex Sophoclis finiuntur, quocum Philoctetes et Neoptolemus firmo consilio capto decessum parant, quocum Dionysus apud Euripidem quieta cum majestate ad Bacchas perterritas accedit*) — quid plura? metrum est, quo *majestas* et *gravitas* depinguntur.

Ordinis causa abhinc de dialogo ita tractabimus, ut eum et e grammatica et e metrica parte consideremus.

§. 21.

Oratio applicita.

Et extemplo personae nobis magis propinquae, magisque familiares occurrunt. Sermo animosior, formae flexibiliores sunt, omnia pectoris occulta patefiunt, sententiae ut scintillae collidendo eliciuntur. Omnes res illae, quae tanquam limites apud Aeschylum versum a versu, personam a persona disjungebant, hic jam corruere, sermones alterni inter se applicari, alius ad alium referri, orationis partes invicem mutuari, prout poeta cavillationes, contemtum, amorem, fiduciam vult expressa. Nihilominus reperies, ubi verba velut in acie posita utantur propria et abrupta conformatione, quod fieri solet, cum loquuntur odium, iracundia, jussus, contumacia. Et illa quidem applicata vel *συναπτική* quam liceat vocare oratio plerumque efficitur participiis, structuris pendentibus, relativis, voculis *ἀλλά*, *γάρ*, *εἰ*, *ὅταν*, *ὡς*, *ὥστε*, quae omnia tam miris subtilibusque coloribus sunt variata, ut nostrates translaturos de eorum pleno sensu exprimendo desperare oporteat.

Consideres mecum velim singulas res grammaticas ita, ut eas e moribus et indole personarum ducamus.

---

*) Paene subpoenitet me quod Euripidis auctoritatem huc attuli, quum omnes artis suae formas sine ulla ratione confundat. Usus ille tetrametri troch., ut est in fab. Or. 729, nobis putidissimus ac fere ridiculus videretur, nisi forte fortuna sciremus illam Orestem fabulae satyricae locum obtinuisse. Item comoedia hoc versu utitur, ut ingenio ejus contrario plus risus efficiat.

§. 22.

Oratio e singulis personis illustratur. E Creonte.

In Creontis natura maxime eminent insolentia, insultatio, simulatio, quae serviunt ambitioni. Proprium est talis indolis, ut ad formas aliorum se applicet (cf. *πλέκειν καὶ λόγους καὶ μηχανάς*), quippe quo verba propius ad adversarii mentem accedant acerbiusque inculcentur. Quamvis Oedipus rex iratus injuriamque sibi factam putans abrupte loquatur, ac verba faciat quasi proprii juris grammatici, (sui juris scilicet ubique se esse credit, id quod ei est perniciei): Creon nullius culpae sibi conscius eoque audacior factus illius verba continuat O. r. 557

Oed. *ἔπειθες ἢ οὐκ ἔπειθες, ὡς χρείη μ'...*
Creon. *καὶ νῦν ἔθ' αὐτός εἰμι τῷ βουλεύματι.*
v. 624. Oed. *θνήσκειν, οὐ φυγεῖν σε βούλομαι.*
Creon. *ὅταν προδείξῃς οἷόν ἐστι τὸ φθονεῖν.*
Oed. *ὡς οὐχ ὑπείξων λέγεις;*
Creon. *οὐ γὰρ φρονοῦντά σ' εὖ βλέπω.*

Suffecerint exempla exscripta ad ea, quae significata velim, cognoscenda. Item cf. v. 565 (respondet Creon in gen. abs.) v. 628 (*εἰ*) v. 629 (gen. pend.) —

In fabula Ant. id facit rarissime. Illic enim ipse est princeps, et ut Prometheus loquitur: *ἅπας τραχὺς, ὅστις ἂν νέον κράτῃ.*

§. 23.

E nuntiis.

Propria est illa loquendi applicatio nuntiorum, in Oed. R. morum simplicitatem, in Ant. procacitatem exprimens. Verba rustici illius, praesertim quum laetissima se nuntiasse putet, regiam dignitatem tantulum curant, ut bono animo ac familiarissime ea regis continuent.

O. r. 963. Oed. *νόσοις ὁ τλήμων, ὡς ἔοικεν, ἔφθιτο.*
Nunt. *καὶ τῷ μακρῷ γε συμμετρούμενος χρόνῳ.*
v. 1004. Oed. *καὶ μὴν χάριν γ' ἂν ἀξίαν λάβοις ἐμοῦ.*
Nunt. *καὶ μὴν μάλιστα τοῦτ' ἀφικόμην.*

Καὶ μὴν qua cum familiaritate paene ridicula repetitur!

v. 1011. Oed. *ταρβῶ γε μή μοι Φοῖβος... σαφής.*
Nunt. *ἢ μὴ μίασμα τῶν.... λάβῃς;*

μὴ pendet ex *ταρβεῖς*, quod sibi arcessit ex *ταρβῶ*. Item v. 1022 (*λαβών*) 1026 (*εὑρών*) cett.

Altera ex parte, quum ejusmodi naturis nihil omnino sit medium, abrupte et rustice loquitur. v. 961, qui locus communis ne directo quidem regi respondet; v. 1046 vel rege neglecto ὑμεῖς pro οὗτοι:

Oed. ἦ κἄστ' ἔτι ζῶν οὗτος, ὡς ἰδεῖν ἐμέ;
Nunt. ὑμεῖς γ' ἄριστ' εἰδεῖτ' ἂν οὑπιχώριοι.
Ex. v. 1125. Oed. ἔργον μεριμνῶν ποῖον;
Pastor: ποίμναις τὰ πλεῖστα ... συνειπόμην.

et ex v. 1127. ἦν μὲν Κιθαιρών, ἦν δὲ πρόςχωρος τόπος — cognoscas laevum pastorem jamdudum societatis humanae ac morum faciliorum oblitum. Aulicus homo officiosissime, credo, atque cum omni elegantia respondisset „συνεπόμενος" (pro συνειπόμην) et „πρὸς Κιθαιρῶνι" (pro ἦν bis tam rustice posito).

A. v. 1061 usque ad v. 1076 animadverte Oedipum applicite tantum loqui, quae dicendi ratio est impatientiae ac festinationis una comprehensione rem totam cognoscere cupientis. In Ant. de impudentia custodis loci notandi videntur hi: V. 243, 315 (ubi Boeckhius egregie δέ pro τί). Impudentissime v. 321

οὔκουν τό γ' ἔργον τοῦτο ποιήσας ποτέ —

quasi hoc participio regis verba supplere velit! V. 404—5 (ἰδὼν pendet ex ξυνίημι).

§. 24.

E Tiresia.

Tiresiae secreta regibus eo terribiliora fiunt, quo magis vates sua verba propria in structura ponit arteque sua divina se involvit. O. R. 350, 366, 438.

ἥδ' ἡμέρα φύσει σε καὶ διαφθερεῖ —

quare tandem illud regis perterriti

ὡς πάντ' ἄγαν αἰνικτὰ λέγεις.

Pari gravitate Ant. 992, 996. — Tum demum, cum humanam vatis naturam excitat Oedipus, oratio humanioribus coloribus tingitur, velut illo acerbissimo γάρ O. R. 324, 328, 341, cett.

In O. C. 589 Schneidewinus injuria tectam illam et arcanam Oedipi senis rationem loquendi extinxit rejiciendo ἀναγκάζουσι (Schneid. ἄναξ, χρῄζουσι), cui verbum illud κομίζειν accus. est pro τὸ ἐμὲ κομίζειν.

Eadem rerum sacrarum gravitas poscit, ut Creon

(Oed. R. 100), verbis regis τίς ὁ τρόπος; non respectis, quum in praesentia deo ministret, verba ἀνδρηλατοῦντας et λύοντας referat ad ἄνωγεν ἡμᾶς (v. 96), quasi divina mortalibus consociare nolit.

§. 25.

Ex Antigona.

Mira virgo est Antigona, et, ut mihi videtur, poetae prae aliis ejus personis dilecta. Omnino in alios clausa et taciturna, quum a pueritia οὔτ' αἰσχρὸν οὔτ' ἀλγεινὸν ὁποῖον οὐκ ὄπωπεν. Plurima secum cogitat, ac plura cogitat quam verbis enuntiat; sed ubi loqui cogitur, propriam amat loquendi structuram, (nam εἴκειν οὐκ ἐπίσταται, ut chorus dicit; inest ei multum patris τοῦ ὠμοῦ) sententias quanta minima potest comprehensione exprimit, sermonem antithesibus acuit. Neminem dignum habet, cui totum sentiendi thesaurum patefaciat; at in pectore aestuant affectus ut ignes Aetnaei sub tegmine nivis et glaciei. Ubi autem prorumpunt — quanto impetu! Tranquillo animo (ut videbatur) a principio fabulae O. C. hucusque meditata quam impetuose a v. 237 preces ad chorum emittit! In fab. Ant., dum ei res est cum Creonte et Ismena, quieta manet atque abrupta, quasi neminem nisi se ipsam dignetur, quocum de animo intimo colloquatur. Sed ut prima secum ipsa verba facit, eo vehementius tamdiu cohibita erumpunt Ant. 806 seqq.

Singularum rerum commemorentur hae:

O. C. 201 γεραὸν ἐς χέρα σῶμα σὸν
προκλίνας φιλίαν ἐμάν.

Videas velim miram pulchritudinem hujus participii, quod adhibet illa loco imperativi. Nam postquam patri, propriis viribus in saxum considere conanti, cum asperitate (causam quaeras in v. 22) dixit: πάτερ, ἐμὸν τόδ' — statim, ne animum ejus laeserit sollicita, nescit quomodo loquatur lenissime, itaque eum adhortatur participio illo relato ad ἅρμοσαι.

De animi ejus contumacia fastidioque

Ant. 443 (Creon. φῂς ἢ καταρνεῖ μὴ ...)

Ant. καὶ φημὶ δρᾶσαι, κ'οὐ καταρνοῦμαι τὸ μή.

Nam prius καὶ est allerdings, neque posteriori aequatum.

Ant. 448 ᾔδη. τί δ' οὐκ ἔμελλον; ἐμφανὴ γὰρ ἦν.

Oratio in cola parvula discerpta quam egregie naturae ejus asperitatem pingit!

Nec magis annectit enunciationes suas inde a. v. 508 usq. ad 525 ej. fab. — Quin etiam vocula γὰρ brevitati ejus inservit, quasi fastidium ejus sententiam ante τὸ γὰρ cogitandam eloqui respuat. Ant. 450 ac saepius.

§. 26.

Ex aliis.

Ex aliis locis observes hos:

Voluntatis constantia ubi sermone annexo utitur, eo altius adversariis se inculcat:

Phil. 1224, 1226, 1228, 1234, 1236.

Od. οὐκ ἂν φράσειας, ἥντιν' αὖ ... κέλευθον ἕρπεις;

Neoptol. λύσων ὅσ' ἐξήμαρτον ...

Od. ... ἡ δ' ἁμαρτία τίς ην;

N. ἣν σοὶ πιθόμενος —

Od. ἔπραξας ἔσγον ποῖον ...;

N. ἀπάταισι ... ἄνδρα ἑλών. κ. τ. λ.

Trach. 1204. Hyll. οἴμοι, τί εἶπας; οἷα μ' εἴργασαι;

Her. ὁποῖα δραστέ' ἐστίν.

Etiam Trach. 747. Dej. τοῦ παρὰ μαθὼν ἔργον εἰργάσθαι με φῄς;

Hyll. αὐτὸς ... ξυμφορὰν πατρὸς δεδορκὼς κ'οὐ κατὰ γλῶσσαν κλύων —

participia Hylli ira incensi gravius in aures incidunt quam verba finita si posuisset poeta.

Item irascentis est Trach. 432.

Lichas. τίς ἐστὶν ὁ ξένος, δέσποινα;

Nunt. ὅς σοῦ παρὼν ἤκουσεν ....

Pari modo v. 742.

Maxime vero variis coloribus poeta imbuit voculas ἀλλά, γάρ. In ἀλλὰ audias amorem et obsequium conjugis (Aj. 529) ἀλλ', ὦ φίλ' Αἴας ..., animum praecipitem et excandescentem in O. C. 591 (id quod tam mire illius regis Oedipi τοῦ πρὶν ὠμοῦ te commonere videtur)

ἀλλ' οὐδ', ὅτ' αὐτὸς ἤθελον, παρίεσαν.

Ἀλλὰ tibi vertendum erit Phil. 645: gut!

ἀλλ' εἰ δοκεῖ, χωρῶμεν.

Phil. 899 leider! ἀλλ' ἐνθάδ' ἤδη τοῦ πάθους κυρῶ.

Trach. 201 also doch!

ἔδωκας ἡμῖν ἀλλὰ σὺν χρόνῳ χαράν.

Plerumque in vocula *γάρ* aut affirmationis aut negationis notio inest. Vertendum est Ant. 730 *tua quidem opinione*

ἔργον γάρ ἐστιν ἀκοσμοῦντας σέβειν;

Item Aj. 1130 *ἐγὼ γὰρ ἂν ψέξαιμι θεούς;*

Phil. 259 et 654 wirklich?

οὐ γὰρ οἶσθα μ' ὄντιν' εἰσορᾷς;

ἦ ταῦτα γὰρ τὰ κλεινὰ τόξα;

Phil. 1281 *bene facis, nam ...*

Neopt. *πέπαυμαι.* Phil. *πάντα γὰρ φράσεις μάτην.*

Insultationem auget in Ant. 569 *ἀρώσιμοι γάρ ...*

Καὶ in O. C. 1432 est: *quod quia ita est*

καὶ μή μ' ἐπίσχῃς γ'.

Μὲν bis positum est cum potestate *τοῦ immo.*

Phil. 1378. Phil. *ἦ πρὸς τοὺς ἐμοὺς ἐχθρούς;*

Neopt. *πρὸς τοὺς μέν σ' ἀποσώσαντας νόσου.*

Aj. 1363. Ag. *ἡμᾶς σὺ δειλοὺς φανεῖς.*

Od. *ἄνδρας μὲν ἐνδίκους.*

§. 27.

Denique rationem quandam verborum adversarii arripiendorum licet commemorare.

Trach. 410 *δίκην* premit illud *δίκαια* in v. praeced.

El. 793 *ἤκουσεν.* Notes etiam indignationem et ironiam, quibus ita loquuntur:

Ant. 324 (*δόξαν*) Trach. 427 (*δόκησιν*) — morositatem et stomachum Philoctetis in

Phil. 918. Neopt. *μὴ στέναζε πρὶν μάθῃς.*

Phil. *ποῖον μάθημα;* —

Aj. 1037 illud famosum *κτείναντα.* Maximo enim jure hanc aoristi significationem *conandi* ludificat Teucer, neque agnoscit Elmslejus ad Heracl. 1003. Praesenti tantum tempori et imperfecto (ita apud Hom. nec raro ap. tragg., cf. O. R. 1454, O. C. 993) haec notio conandi addicenda est. Menelaus hoc aoristo usus minime sane de conatu cogitat, sed nihil est nisi linguae praeproperae et inconsideratae.

Haec attulisse suffecerit ad artem Sophoclis significandam, qua sententias ac mores personarum mutua vi et tanquam frictione explicandas curet. Alia, quae praetermisi, sensui lectoris permitto. Ceterum quod ad Aeschyli dialogum pertinet, tardior morum explicandorum progressio huic poetae eo aptius obvenit, quum trilogiae spatium et ad actiones et ad personas exponendas datum esset, qua sublata Sophocli rapidius erat procedendum singulisque fabulis et initium et exitus actionis tribuenda. Quamvis enim laborent probare Sophoclem scripsisse tetralogias, quid hoc ad fabularum singularum libertatem? quarum quamque proprii juris esse nemo, opinor, negabit*).

§. 28.

De trimetro.

Adjiciamus pauca de metrica parte.

Si ulla omnino disciplina esse potest sentiendi, hanc putaverim esse metricam. Maximum autem periculum huic doctrinae in eo est, quod systema quoddam ordinatum, sine quo non esset disciplina, usque in minimas partes strenue ei est sustinendum. Si formas illas τοῦ πάθους infinitas apud Sophoclem in regulas subtilissime ordinatas

*) Omnino de illis tetralogiis aliter ac multi solent statuendum videtur. Vinculum, quo inter se cohaerebant fabulae, extraneum tantum erat mythorum. Namque profecto! illos Graecos totius fabularum argumenti jam antea gnaros potuit postulare poeta, ut fortunae eos eventus, in quibus animus acquiescere cupiebat, ubi poeta non praebuerat, ipsi animo sibi supplerent. Ubinam, ut exemplis utar, poetarum justitia est, quae in Soph. El. a filio parricida, quae in Eur. Tro. ab Atridis Hecubae tortoribus ac perditoribus, in Iph. A. ab ignavia Agamemnonis poenas petat, nisi spectatores mythorum gnari illos luisse sponte sciverunt? Tales res videlicet nos tum denique doceri oportuit, quum fabulam Sept. ad. Th. ultimum in trilogia locum tenuisse comperimus! Immo Antigonam consilium suum captum peregisse Graeci sine poetae opera non ignorabant. Nostrates quidem solum res, non formas poesis sectari consueti, iis poetarum suorum mire irascerentur, qui postularent ut argumentum fabulae jam novissent, neque bonae de exitu hominum proborum et malorum doctrinae plenissime in fabula ipsa satisfacerent.

possem redigere, jam non res mihi esset cum arte quadam ac poesi, quum e contrario solum generalissimas illius rationes significare possim, intra quas ingenium licentia utatur infinita. Quae res quid obstat quominus in metrica quoque ita se habeat? Ipse Hermannus versus non digito, sed animo esse metiendos dixit, et ubicumque in singulis quibusdam erravit — κεῖτο μέγας μεγαλωστί.

Ut in universo poesin, ita metrum vocare potes licentiam quandam lege coercitam. Metrum iambicum autem, quod proxime ad sermonem pedestrem accedere dixit Aristoteles (etiam nos in patria lingua plerumque jambice, raro dactylice loquimur) eandem ob causam „alternis sermonibus aptum est natumque rebus agendis.“ Quia est metrum quoddam, homines qui eo utuntur, pertinent ad artem, sed quia metrum maximae varietatis, homines nostri sanguinis fiunt. Quodsi metrica me docet reperiri caesurarum penthemimerim, hephthemimerim, bucolicam, necessariam, non necessariam, quin etiam duas in uno versu — judicium quidem adstipulatur, attamen sensus non potest quin suasmet vias in poetis habeat.*) Quum autem ejusmodi sensum in me inesse negare nec possim nec velim, videat nunc, quomodo se defendat.

§. 29.

Ut fabula tota dispositionem, sic versus τομὴν suam habere debet. Trimetri autem formula quasi a natura imperata mihi ea videtur, quae caesuram ponit post quintam (aut quartam) syllabam, cui σχήματι cogitationes naturali varioque modo circumfunduntur. Lex haec est:

⏓ – ⏑ – ⏓ | – ⏑ – ⏓ – ⏑ –.

*) Quid dico de caesuris? Nonne noster quinarius tragicus jam eo pervenit, ut criticus quidam novissimus caesurarum ex eo extricaverit novem? Quae tamen ipsae ineptiae nihil nisi id probant ex omnibus metris plurimas varietates accipere posse trimetrum, atque hoc esse ipsum, quo, quum omnia cogitationis et affectuum tenuissima discrimina fideliter fateatur, scenicis rebus aptum sit. Nam cuique mensurae artis contendo esse formam quandam tum necessarium et aeternam, tum fortuitam et a cogitatione mutata imperatam. Priorem altera tollere non potest. Forma

Septum quoddam vides, quo velox jamborum decursus ut amnis rapidus frangatur quietiusque abhinc ad exitum defluat. Et aptissimo quidem loco, ita ut dimidium prius posteriore sit brevius.

At si metrica iterum dividit dimidiorum posterius

⏓ – ⏑ – ⏒ – ⏑ || – ⏑ | – ⏑ –

aut caesuram esse vult hoc loco:

⏓ – ⏑ – ⏒ – ⏑ – ⏑ | – ⏑ –,

confiteor me sensui non magis posse hoc expedire et inculcare quam prooemia, quae ipso opere sunt majora. Viri docti mihi ignoscant (Musa id certo faciet), quod in versibus recitandis (— dramata sunt, ut audiantur!) ejusmodi

ποίοις ἐι αν θρώποισι; τίς πόθεν μολών —
ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας —

caesuram solam penthemimerim audio, quamvis hephthemimerim oculis conspiciam. Quum cola operis cujusque artificiosi animo magis quam sensibus cerni inter omnes constet, quid obstat, quo minus singulos versus habeamus opera artificiosa? In summa, *lex tecta el abdita nondum est sublata.* Dispositio si extera abest, intra te ipsum eam gignas, eoque major delectatio erit. Graecos quidem ita fecisse credo. Qui populus tam secundae erat naturae ingeniique fortunati, ut, non sensu a judicio disjuncto, sed viribus mentis unitis poetam acciperent, et ut negotium caesurae sibi mente disponendae eos non impediret, quominus eodem tempore simul verborum sententiam caperent.

§. 30.

Versus qui syllabam quintam producit, etiam nonam productam habere solet. Flumini ita altera quasi moles objicitur, sed quae aestum debiliorem efficiat. Quare minorem habet accentum.

⏓ – ⏑ –̋ – | – ⏑ –́ – – ⏑ –

---

aeterna et quae major est omni vicissitudine, in profunda jacet immota, quamvis cogitationes superne fluctuantes superficiem vario modo permoveant.

Metrica ars minime ea res est, de qua sola mens judicium habeat; huic quoque subsit necesse est species quaedam aeterna et quae in vicissitudine maneat, id enim ipsum est omnis artis natura.

Ita versus pars posterior, quasi totum esset, iterum quidem dividitur, attamen ita ut pars tantum totius esse videatur. Minime autem deformitatis est, quod hoc modo jambi in trochaeos transiisse videntur, quos utique a Graecis ita auditos esse probant *ἀντιλαβαὶ* versum ita dividentes:

A. ⏓ – ⏑ – ⏑̄ | *B.* – ⏑ – ⏓ – ⏑ –

Neopt. *οὕτω δέδοκται;* Phil. *καὶ πέρα γ᾽ ἴσθ᾽ ἢ λέγου.*

§. 31.

Rarius reperies alterius generis caesuram, quae minus loco quam rhythmo jambico servato a priore differt,

⏓ – ⏑ – | ⏓ – ⏑ – ⏓ – ⏑ –

quamquam nimia hujus formulae severitate non opus est; nam si histrio sententiam mihi premat, saepius audiam penthemimerim. Sic in versu quem vituperare solent, O. R. 1268·

ἀποσπάσας γὰρ εἱμάτων χρυσηλάτους —

γὰρ intime cum *ἀποσπ.* recitando conjungendum. Haud dubia iis tantum locis apparet, ubi sententia vel fortiore interpunctione efficitur, velut

ὦ φιλτάτη, τὸ ποῖον Ἀντιγόνη; λέγε.
ὅρα γε μήν· οὐ σμικρός, οὐκ, ἀγὼν ὅδε.

In aliis autem locis verborum sententia te coget, ut audias penthemimerim — nisi forte aliis legibus tales versus inserviunt, de quibus continuo tractabo.

O. r. 366: *λεληθέναι σε φημὶ σὺν τοῖς φιλτάτοις.*

Priora verba quum sine pondere sint, vates ad illa festinat, in quibus sententiae cardo vertitur; vocemque illic insigni modo retardat.

§. 32.

Nona producitur, quamquam quinta correpta est (id quod Porsono tantas cruces effecerat) etiam in his versibus:

O. R. 634: *τί τὴν ἄβουλον, ὦ ταλαίπωροι, στάσιν —*
O. C. 982: *ἔτικτε γάρ μ᾽, ἔτικτεν — ὤμοι μοι κακῶν*
Phil. 787: *προσέρχεται τόδ᾽ ἐγγύς. οἴμοι μοι τάλας·*

Quam pulchri hi versus, quorum cursum volucrem repente acutissimo ac dilatato lamento haerere audimus! Quis omnino versum vituperet, qui ab animo perturbato formatus perturbationem pingat?

Insuaviores videntur, qui in duo dimidia aequaliter dividuntur. Nec vero omni gravitate destituti sunt, nam personarum et sententiarum discrimina acutissime disjungunt ac tam acerbitatem quam consiliorum constantiam exprimunt.

Phil. 1009: *ἀνάξιον μὲν σοῦ, κατάξιον δ' ἐμοῦ.*
El. 1036: *ἀτιμίας μὲν οὔ, προμηθίας δὲ σοῦ.*
Praeterea Aj. 1129, Phil. 1049.

§. 33.

Sunt quidem versus, quibus nihil nisi jamborum decursus insit, quorumque cola sint tam discerpta, ut caesuram nullam audias. Qui nisi corrupti sint, concitatissimum animum continent, ut histrio, etiamsi justissima ratione compositi essent, tamen affectionis gratia structuram voce dissolveret. Et profecto Sophocles nonnumquam id agere videtur, ut spectatores trimetros se audire obliviscantur. Hoc satis frequenter poeta efficit illis vocabulorum in exeunte versu elisionibus, gravibusque ante sextum pedem interpunctionibus, ubi histrioni ita erat recitandum, ut duos versus aut pausa non interjecta aut caesuris mutatis in unum conflaret.

Elisio fit participii (*μολόντ'*) O. C. 1164, vocabuli *δὲ* O. C. 17 O. r. 29, 785, 791, 1224, *τὲ* eliditur O. r. 1184, *ταῦτ'* O. r. 332.

Versum finiunt pronomina, relativa, adverbia cett.: Ant. 308 (*πρὶν ἄν*), 325 (*ὅτι*) El. 619 (*τὰ σά*) O. C. 14 (*οἵ*) El. 873 (*ων*) 879 (*τοῖς*). Trach. 819 (*ἥν*). O. C. 351 (*τὰ σῆς*) 495 (*ἐν*), alia. Innumerabiles sunt versus, quorum bini non uno verbo sed pluribus conjunguntur. Schneidewinus notat El. 711, ubi descriptionis rapiditas vocem quiescere non sinat, et auditores simul cum curribus arenae abripiantur:

χαλκῆς ὕπαι σάλπιγγος, ᾖξαν· οἱ δ' ἅμα
ἵπποις ὁμοκλήσαντες ἡνίας χεροῖν κ. τ. λ.

§. 34.

Talia quidem Atheniensibus, rigidissimae illi Aeschyleorum versuum compositioni adsuefactis, mira fortasse videbantur, neque tamen putandum est id aegre tulisse ejusmodi homines, quos pingit Thuc. III, 38. Ceterum numne

arbitraris, sodes, nihil ad animi libertatem servandam valere, quod, dum sensus occupentur, etiam mens agere quidquam cogatur? Quotiescunque in nostris theatris versus recitando discerptos audiebas, nonne tibi fieri solebat, ut ex histrionis declamatione jambicas nostrorum tragicorum pentapodias tibi colligeres? Caveas igitur, ne ea, quae metrica docet a regula aberrare, etiam a pulchritudine aberrare existimes*).

§. 35.

Litterarum poetica vis.

Sed in subtiliora descendit ars Sophoclea, ut quibusdam in locis litterarum singulas fere quasque esse pensitatas dicere possis. Huc spectant vis quaedam litterarum poetica παρήχησις, prosodiae mutatio, alia.

Mutatur prosodia El. 148.

ἃ Ἴτυν, αἰὲν Ἴτυν ὀλυφύρεται,

– ◡ ◡ – ◡ ◡ –

ut Schneidewinus (quem cf. l. l.) notavit, ad clamores avis sensibus nostris subjiciendos. Sicuti, si quem saepius vocas, nomen mutato accentu exclamas.

Phil. 296: ἀλλ᾽ ἐν πέτροισι πέτρον.

O. C. 442: οἱ τοῦ πατρὸς τῷ πατρί..

ubi premitur vis ethica nominis patrii.

O. C. 883 Chor: ἀλλ᾽ οὐχ ὕβρις τάδ᾽; Creon: ὕβρις.

Ant. 1240: κεῖται δὲ νεκρὸς περὶ νεκρῷ.

---

*) Si quis narratiunculas virorum doctorum congesturus sit, non malam, credo, messem faciet in rebus metricis. E multis unam ei subministrabo. Horatius ad Pis. v. 263 ita:

„Non quivis videt immodulata poemata judex;“ —

ubi miro cum acumine Orellius (quocum fortasse alii): „Ceterum, inquit, Horatius in hoc ipso versu non effugit crimen ignoratae, vel saltem neglectae artis“ — atque vultu hercle gravissimo adjicit Lachmanni verba ad Lucret. 6,1067. — Quis te non noverit, Venusine, lepidissimasque tuas petulantias, quin sentiat te ficturum fuisse versum exemplarem, qualem fingere nos non debeamus! Profecto, non quivis videt immodulata poemata judex! tametsi vitia videre multo facilius est quam virtutes.

Utrique horum verborum eo accedit quaedam gravitas, quod mensura acutissime discernuntur.

Litteram π molestiam laborum pingere notavit Schneidewinus ad Aj. 866

πόνος πόνον πόνῳ φέρει.

In τρ saxorum frictionem audias. Phil. 296

ἀλλ' ἐν πέτροισι πέτρον ἐκτρίβων.

In v. seq. (*ἔφην' ἄφαντον φῶς*) τὸ φ non sine ulla ratione esse cumulatum apparet; sed quid sibi velit, quis dicit? Fortasse significationem τοῦ φαίνειν premit pingitque stuporem et gaudium ignis apparentis necopinatum.

Idem fortasse in alloquiis: El. 1224.

ὦ φίλτατον φῶς, ὦ φθέγμ' ἀφίκου;

Phil. 234 *ὦ φίλτατον φώνημα· φεῦ ....*

Horrore afficit σ

O. r. 425 *ἅ σ' ἐξισώσει σοί τε καὶ τοῖς σοῖς τέκνοις**)

O. r. 1481 *ὡς τὰς ἀδελφὰς τάσδε τὰς ἐμὰς χέρας* — similiter O. r. 1507, ubi Oedipi interna formidine concussi labra frendere dentesque crepere tibi videntur.

Respuendi vim habet parechesis τοῦ π

Aj. 1112 *ὥσπερ οἱ πόνου πολλοῦ πλέῳ* —

item O. C. 658 *πολλαὶ δ' ἀπειλαὶ πολλὰ δὴ μάτην ἔπη* — acerbitatis in El. 210

ποίνιμα πάθεα παθεῖν πόροι.

Diphthongi cumulatae sunt stomachi inhabilis laevique apud Philoctetem: v. 429

Ὀδυσσεὺς δ' ἔστιν αὖ κ' ἀνταῦθ', ἵνα
χρὴν ἀντὶ τούτων αὐτὸν αὐδᾶσθαι νεκρόν.

Phil. 1380 *ὦ δεινὸν αἶνον αἰνέσας* —

Hominis est, quem insania reddidit puerilem, triumphum pingere allitteratione:

Aj. 105—6 *ἥδιστος, ὦ δέσποινα, δεσμώτης ἔσω θακεῖ·*
θανεῖν γὰρ ....

Tubae sonos audias in η, αι El. 711.

χαλκῆς ὑπαί σάλπιγγος ᾖξαν ...

Quanta adulandi ac blandiendi vis inest τῷ λ

---

*) Cf. Eur. Med. 476

Ἔσωσά σ' ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι.

Et Suppl. 250. — ubi sigmatismus jam ad nugas et ineptias recidit.

Aj. *ἀλλ', ὦ φίλ' Αἴας*, aliisque in alloquiis, El. 655
ταῦτ', ὦ Λύκει' Ἄπολλον, ἵλεως κλύων —
Maxime vero mire usurpat poeta litteram *τ*, ac paene crediderim contineri in ea potestatem demonstrativi alicujus (quorum pleraque incipiunt in *τ*). Quare jussis acuendis inservit.

O. r. 252 *ὑμῖν δὲ ταῦτα πάντ' ἐπισκήπτω τελεῖν,*
ὑπέρ τ' ἐμαυτοῦ τοῦ θεοῦ τε τῆςδέ τε.

Aj. 528 *ἐὰν μόνον τὸ ταχθὲν εὖ τολμᾷ τελεῖν.*

Cf. etiam El. 1487, O. r. 1—2.

Cujus demonstrativae (*δεικτικῆς*) vis plus fortasse quam ludificationis inest in O. r. 371
τυφλὸς τά τ' ὦτα τόντε νοῦν τά τ' ὄμματ' εἶ.
ubi *τὸ τ* per se paene exprimit: wie es ja ersichtlich ist!

Minime autem grate, ne dicam ridicule, audiuntur quaedam *ὁμοιοτέλευτα*, quae librariorum culpae deberi veri simillimum est, quam ob rem utique removenda sunt.

O. r. 1280—81 ubi Lachmannus *οὐ μόνον μόνῳ* pro *οὐ μόνῳ κακά.*

O. r. 777—8 bis *ἀξία.*

Loco tamen est illud Phil. 121—2, ubi cf. Schneid. Mirae auctoritatis sunt arses quaedam trimetrorum solutae, ut O. r. 967.
κτανεῖν ἔμελλον πατέρα τὸν ἐμόν, ὁδὲ θανών —
ubi lingua terrorem animi pingit, ut hominis gelu concussi (cf. *τὸ κρύος* ap. Aeschyl.) *)

---

*) Eidem legi solutos dochmios inservire notissimum est. Quare semel iterumque codices defendendi sunt. O. R. 1330.
ὁ κακὰ κακὰ τελῶν ἐμὰ τάδ' ἐμὰ πάθεα,
ubi horror pingitur balbutientis linguae. Nauckio igitur minime adstipulandum est, qui ut antistropham mutare posset, removit *κακὰ* et *ἐμὰ* (quod potius cum Hartungio vocibus *τλάμων* et *πράσσων* v. 1333 et 1353 protinus fieri debuit, quum versus sint senarii). Antistropham autem ille vult ita:
ὄλοιθ' ὅστις ἦν, ὄλοιτ' ἀγρίας
ὃς ἀπὸ πέδας μ' ἀπό τε φόνου
ἔρυτο κἀνέσωσεν οὐδὲν εἰςχάριν.
Potest quidem ita scripsisse poeta, sed cur debuerit, non intelligo, dum libri satisfacient, qui ita habent:

Omnino in his rebus naturalem simplicissimorum hominum sermonem cognosces, quibus vel litteras adjumento esse in sententiis et affectibus exprimendis adhuc hodie tibi licet observare.

De iis fabularum partibus, quae ῥήσεις vocantur.

§. 36.

Aeschylum in dialogo versus non divisisse supra monui. Minima τοῦ πάθους apud eum mensura senarius est. Ex aliis exemplis quae notentur, digna sunt ea in Prom. 36—81, ubi quum Κράτος ad monendum incitandumque Vulcanum semper binos versus exhibeat, Vulcanus acri suae de illo munere irae singulos tantum versus permittit, eosque etiam longiores quam stomacho ejus commodum et opportunum videtur. — Deinde vero durissimam stichomythiae ab illis ῥήσεσι separationem velim animadvertas. Plurimis enim locis ab illa excipiuntur sine ullo transeundi gradu, ac personae nonnisi aut longioribus orationibus aut stichomythice loquuntur.

Rigidissime stat in hac re poeta in fabularum prioribus, quod remisisse aliquid videtur in Orestia *).

ὄλοιθ' ὅστις ἦν, ὃς ἀγρίας πέδας
νομάδ' ἐπιποδίας ἔλαβέ μ' ἀπό τε φόνου
ἔρυτο κ' ἂν ....

Vocabulo enim νομὰς bis apud Sophoclem accidit ut perperam explicatum sit. O. v. 1350. constructio sic procedit: „Male pereat qui me in silvis pastorem compedis arripuit et e leto servavit...“) Saevissimae est acerbitatis dicere se compedes suas pastum egisse ut pecora illum. O. C. 687 fontes vocantur νομάδες ῥεέθρων, Cephissum alentes. Nos: sie speisen den Strom. Qua de causa v. 689 scribendum ὠκύτοκος brevi natus, non ὠκυτόκος. De significatione transitiva cf. φοράς, φορβάς, λοπάς (νόσος arbores decorticans) Παλλάς (πάλλω) λαμπάς cett.

*) Incredibile est, quantum possis in aliqua re reperire, dummodo serio velis aliquid reperire. Postquam Ritschelius miro cum acu-

Hunc dialogi rigorem liquavit Sophocles. A longioribus enim orationibus apud eum ad stichomythiam transiri solet per minores versuum ordines, quibus, qua via psychica augescant affectus, ostendere voluisse videtur.

Dispertiantur illae ῥήσεις in IV genera:

1) Sermones duarum partium alterni.
2) Alloquia unius personae.
3) Soliloquium unum.
4) Nuntiorum narrationes.

Accedunt apud Nostrum unus prologus, (Trach.) unus epilogus ἐκ θεολογείου (Phil.)

---

mine responsionis legem in illis verbis Eteoclis et nuntii fab. VII ad Theb. nobis detexit, Weilius illius acuminis aemulator (v. Jahns Jahrb. 79/80 11.) totum Aeschyli et Sophoclis dialogum in series numeratas se redacturum esse pollicetur. In tempore idem Weilius addit l. l.:

Wenn (nach Ritschl) 20, 15, 29, 24 Verse andern 20, 15, 29, 24 entsprechen, welches Ohr kann diese Symmetrie fassen? Wie wird das Zahlenschema zu einer künstlerischen Einheit? Wenn jene Zahlensymmetrie nicht ein eitles Spiel sein soll, so muß sie vom Zuschauer, wenn auch instinctiv, empfunden werden können.

Nihil verius esse potest. W. autem spinas vellit, ut suum susceptum tueatur, nihiloque minus bifariam fallitur. Primo enim etiam ex parvis versuum ordinibus (id quod maxime ille premit) auditores symmetriam aliquam auribus captare posse equidem nego. Id solum legentis est. Nihil autem ab illis poetis, quum dramata componebant, magis abfuit quam cogitare illa unquam lectum iri.

Sed etiam ut Pythagorae magistri doctrina, ut Aeschyli natura dorica, ut infantia artis tragicae hac in re aliquid valuerint (quas causas probabiles illius legis ne attingit quidem Weilius), tamen is, qui hoc tale γεωμετρεῖν τὸν θεόν vel in Sophocle effecturus sibi videtur, ingentem inter diverbium ethologicum et pathologicum distantiam omnino non respicit. Dixi supra de affectibus in Aeschylo *statariis; motorii*, si his significationibus locus est, addicendi sunt Sophocli. Hoc ipsum est, eur diverbium Sophocleum (de melica parte omnino non loquor) ad certas numerorum leges nullo pacto redigi posse apertum sit, etiam si tale quidquam Aeschylo concedere audeam.

§. 37.

Sermones longiores duarum partium colloquio ineunte locum habere solent. Suarum quisque sententiarum quasi copiarum aciem ex adverso constituit, priusquam certamen inter se stichomythice instituant. Ita Creon et Haemon (Ant. 639—723), Menelaus et Teucer (Aj. 1052—1117) Neoptolemus et Philoctetes (Phil. 1314—1372; nam postquam Odysseus abiit, nova scena incipitur), Creon et Oedipus (O. C. 728—800) cett.

Proprium est autem Graecae tragoediae, quod inter utrumque sermonem chorus versus nonnullos interjicit, quorum inanitatis taediique palmam poscit Euripides. Sophocles tamen talia chori verba in quandam vim dramaticam eo convertit, quod alter non alteri statim, sed choro respondet atque ita ostendit adversario acerbitatem quandam et contemtum. O. C. 1349, El. 610, Ant. 726, Aj. 1093, quos locos ipse adeas.

Hoc orationum genus est quietum animique concitatione fere ubique relictum. —

§. 38.

In altero genere, ubi personarum una copiòsius loquitur, fabula ad τοῦ πάθους fastigium extollitur atque omnia quae lingua praestare potest auxilia facit sua. Ejusmodi sunt, quibus affantur Ajax Eurysacem (v. 545) Teucer mortuum Ajacem (v. 992), urnam Electra (v. 1126), sepulcrum suum Antigona (v. 891). His adnumeres, quae Oedipus precatur O. C. 89, quae supplicat Antigona O. C. 237, quae pluribus lŏcis Philoctetes stomachatur et exsecratur. (De gramatica parte infra exponemus).

§. 39.

Soliloquia a tragoedia vetere aliena fuerunt, nisi forte huc pertinere quaedam Euripidis putas. Eo memorabilius illud unum Sophocleum in Aj. 875. Graeci enim nullo pacto cum suo ipsorum animo colloqui potuerunt, quum animus iis, qui sensibus tantum omnia percipiebant, res esset sensibus parum subjecta. Ubique igitur, si non cum personis in scena praesentibus, certe cum rebus animo cogitatis verba faciunt, iisque vim intelligendi tribuunt.

Etiam Ajax non secum ipso colloquitur, sed cum gladio, Jove, Sole, Furiis.

§. 40.

Transeundum est ad *narrationes nuntiorum*. Dionysiis choris Thespis ille, ut notum est, fabulatorem quendam adjunxit, qui pausis opportunis datis illius dei historias oratione numeris adstricta recitaret. Epica ars cum lyrica quasi consociata erat sine vinculo ac junctura. Tum Phrynichus duos histriones eoque sermones alternos instituit. Denique factum est ut qui adhuc recitaverant, partes certas agere coepissent — et quae sequuntur. Ex illis autem actionis dramaticae principiis instar monumentorum tragoedia nuntiorum narrationes servavit, posteriori tempore oeconomiae dramatis eo inservientes, quod quae agi non poterant, narrando cum processu actionis connectebant. Quod Seidlerus olim judicavit poetam in illis locis quasi campum, quo epici poetae partes ageret, sibi servavisse (qua ex re lucra quaedam grammatica fecisse sibi videbatur), mea quidem sententia ingeniosius quam verius excogitatum est. Nunquam me ex illis narrationibus epica quadam aura afflatum esse confiteor, nisi forte mea percipiendi vis mire cum aliis hominibus discrepat.

Sunt autem illae ῥήσεις non epicae, quia narrantes suas opiniones immiscent ac fere ubique in aliquo loco communi finem dicendi faciunt; quia orationes illae omni epica tranquillitate carent, quin imo interdum in praesenti tempore raptim procedunt; quia omnia minora actionis momenta repudiant; quia respuunt omnes causas retardantes*); quia denique rectissima via ad narratae rei nervum propelluntur. Nec tamen magis dramaticae sunt, nam narrantis mores quosdam speciales hic frusta investigabis. Utrum rusticus an urbanus, utrum nutrix an servus sit, fere nihil interest. Nuntius appellatur. Omnes eadem loquendi forma, eodem recitandi stilo utuntur. (De ipsa ea, quae proprie dicitur, narratione dico; nam quae praeter narrata illi verba faciant, huc non spectat.)

Non magis, inquam, dramaticae sunt, quum mentem

*) „Retardirende Motive." Goethii de epicae poesis natura explicationem respicio.

rebus describendis, non sensum agendis occupent et jam non homines affectibus incitatos, ut ita loquar, sculpant, sed acta pingant. Quid tandem? Declamatoriae artis sunt, at certe artis haud vilioris quam poscit dialogus, ita ut histrionum nonnulli, velut ille Nicostratus a Xenophonte commemoratus (Com. Gr. V. 365. Prov. Coisl. 124) etiam his in rebus maxima laude florere potuerint*). Si autem in dialogo necesse erat histrio propriis moribus sese exueret, alienissimasque naturas effingeret, nuntio in sua ipsius natura quiescere licuit nihilque nisi exercitationis aliquid in recitando opus erat.

Sed lucra quae tandem sunt, quae ex epica, ut opinantur, natura harum orationum sese fecisse putant? Nihil fere aliud, nisi augmentum syllabicum omissum, de quo, quum solum ad has ῥήσεις pertinere dicatur, jam hic exponam.

De augmento syllabico omisso, de elisione.

§. 41.

In fabulis tractandis id inprimis nihil morari solent, dramata scripta esse et scribi, ut in scena agantur, non ut legantur. Illa enim dramata ἀναγνωστικὰ apud omnes populos, qui litteris excultis gloriantur, aetatem artium jam corruptam testantur, atque jam oculorum causa omni cum grammatica diligentia scripta ea esse oportet. Verus autem poeta scenae scribit, non lectioni, neque grammaticae sed τοῦ πάθους necessitati subjectus est. Itaque quaestionem totam augmenti et elisionis ad pactum quoddam conventum ejusmodi redire suspicor, ex quo significatio typographica proxime ad vocem vivam accedat. In quibus parum scrupulorum novit lingua histrionis, ea videlicet ad certissimas leges esse redacta volunt oculi lectorum.

*) Ἦν γὰρ ὁ Νικόστρατος ὑποκριτὴς τραγικὸς ἄριστος καὶ μάλιστα ἐν ταῖς τῶν ἀγγέλων ἐξαγγελίαις.

§. 42.

Reisigius (Conj. in Ar. p. 79) rejici putat augmentum, ubi „res magna et gravis, vel nova etiam vocabulo illo narretur, quae et vocis intentione et gestuum motu animis auditorum inculcetur.“ Lepide quidem inventum, at claudicat haud paucis locis. Si notionis gravitas aliquid valere deberet, ei non cum Schuetzio in Pers. 313 ναὸς ἐκ μιᾶ 'πεσον, sed, ut Vauvillersius proposuit, scribendum erat ναὸς ἔπεσον ἐκ μιᾶς, nam notio principalis inest in μιᾶς. (Meinekius ex libris ἐκ μιᾶς πέσον). In eadem fabula 416 est παίοντ', ἔθραυον. Num alteri augmentum habenti verbo minus gravitatis inest quam priori? Aliorum exemplorum affatim, qui quaerit, reperiet. Quae igitur causae sunt, cur gravitas notionis in augmenti omissione posita sit? quum poeta haud profecto raro augmentum admiserit in verbis gravitatem quandam revera continentibus, cujusmodi innumerabiles locos prae omnibus apud Sophoclem habemus.

§. 43.

Quod ad Seidleri sententiam attinet, jam supra exponere conatus sum augmenti omissionem minime epica quadam illorum natura effectam esse posse. Nam totidem sunt aliorum locorum in sermonibus alternis, ubi augmentum videmus *omissum*. Ita Ant. 457, 557. Aj. 557, 1303. Trach. 381. Phil. 360. O. C. 1349. al. l.

§. 44.

Ex omnibus autem legibus minime placent, quas Hermannus statuit quinque. Quid ita? rogabis. Quia quinque sunt. Nihil enim hac multitudine mihi magis probat, quam parvi interfuerit poetarum ut eas sequerentur.

§. 45.

Sed ut ad meam sententiam perveniam, minime sane mero casu fortuitoque evenisse videtur, ut augmento omisso vocales tantum litterae praecedant, plerumque illae augmento cognatae ει, αι, η (plus tricies apud Aeschylum et Sophoclem); non raro etiam οι, ω, ου. Semel omittitur post ε, ι, ο, α, ter aut quater post litteras consonantes

(ut in exemplo e Pers. supra l.) Qui tamen loci solummodo in *prioribus* Aeschyli fabulis reperiuntur, ubi stilus tragicus in formis constituendis adhuc fluctuavit; quare nusquam mutandi sunt.

Jam autem velim clara voce pronuncies haec:

δὴ 'βόησε — πλεῖστοι 'θανον — ταχεῖ 'πόρευσαν — παρθένοι ῥίγησαν — πεσοῦσαι 'κλαῖον — Statim intelliges, etiam si augmentum simul voce exprimere velis, nihil discriminis effici, quum vocales illae dilatatae palatum cogant, ut, quum ad consonantem sequentem transiturum est, leni modo τὸ ε interserat. Eadem via, ut opinor, quaestio de καθεζόμην et καθήμην (cf. Herm. el. d. m. p. 120) facillime expeditur, nam his quoque verbis apud Sophoclem praecedit ubique littera vocalis, Ant. 411, O. C. 1597, Trach. 918.

In anapaesto incipit. v. 544 fab. Phil.

φύλαξ — 'Εκέλευς' ἐμοί σε.

Sed littera ξ paene plus valet in hac re quam illae vocales, ut inter ξ et κ in enuntiando τὸ ε oppressum audire tibi videaris. Certe hoc ε illam vim vitalem non habet, ut Nostro anapaestum hujusmodi obtrudere possit; anapaestorum enim, qui in primo pede nati sunt ex augmenti accessione, nullum alium apud Sophoclem reperies. Sed etiam ad alios locos, ubi anapaesti in ε incipientes videntur admissi, hoc pertinet. Quare nunc optime auctore Dawesio in El. 818 scribunt

ἔσομαι ξύνοικος ἀλλά ...

praecedente χρόνου, omniaque alia, quae proponunt, non amplius audienda sunt. (Codd. ξύνοικος ἔσομ' ἀλλά). Hi enim anapaesti sunt nulli, quamvis usus obstet, quominus τὸ ε elidamus. Exempla si quaeris augmenti syll. om., copiose reperies ap. Herm. d. e. m. p. 121.

§. 46.

De elisione.

Cum hac re intime est conjuncta elisio, ubi Schneiderum (de dialecto tragg.) a veritate non multum abesse video, qui statuit elisionem brevis vocalis, plerumque τῶν ε, α, ο post praecedentem longam vel diphthongum tunc esse justam, ubi crasis stare nequeat. Ubi autem crasis

esse potest? Ubi populi usus eam exhibuit scriptoribusque imperavit. Crasin igitur efficiunt, ut notissimum est, articulus, voculae ὦ et καί, relativi pronominis neutra ὅ et ἅ, τοί, μέντοι, οὔτοι, πρό, ἐγώ (plerumque cum οἶδα, οἶμαι). *Crasis est penes usum, elisio potius penes poetam.* Quae quidem efficitur, ubi brevis vocalis a praecedenti longa devoratur sonoque privatur. Elisionis omnino tres species poni possunt. Illa enim brevis vocalis necesse est sit 1) sive praepositionum, 2) sive syllabarum adventitiarum (illas dico vocales, quae vocibus flexione accedunt), 3) sive denique omnino syllabarum correptarum, etiam si qua verbi sit primitiva.

1) Praepositionum exempla sunt μὴ ’ξ, μὴ ’πιμεῖναι, ἥξω ’πι τούτοις; devorantur item ἐς et ἐν. Quod Reisigius in Synt. crit. p. 24. elisionem ita concessam esse putat, ut antecedens vocabulum aut monosyllabum sit, aut ut extrema syllaba habeat accentum, quare scribendum censuit εἴθισμ’ ἐκ, παρεῖν’ εἰς, καθίζομ’ ἐν: jam ea de causa displicet, quod syllabae μαι, ναι, in arsi positae sunt, ideoque id utique habent roboris, ut τὸ ε devoratum (ut metaphoram consummem) possint concoquere. Quare scribendum εἴθισμαι ’κ, καθίζομαι ’ν*). Omnino in illis paucissimis exemplis, ubi primam personam praes. et perf. pass. elidi volunt, jam codices cum quadam concordia discordant.

2) Syllabarum adventiciarum exempla sunt augmentum syllabicum, syllaba terminans σι, alia nota.

3) Syllabarum denique primitivarum brevium exempla μολῶ ’γώ, τῇ ’γαθῇ. Contra ubi vocalis sequens non adventicia, neque syllabae alicujus correptae est, sed primitivae sive natura sive positione productae: tum validior est quam quae se rejici patiatur, ac per συνεκφώνησιν scribenda, ut recte Schneidewinus μὴ ἕρπῃς, μὴ ἔξω, μὴ ἀλλά.**)

---

*) Itaque ubi μαι et ὦ juxta posita libri habent, τὸ ὦ ubique rejiciendum est ut O. C. 844 ἀφέλκομαι δύστηνος. Libri ἀφέλκομ’ ὦ δ.

**) Ritschelius igitur, ut unum exemplum afferam, in Sept. 695 injuria scripsit μὴ ’λθῃς.

§. 47.

In quaestione de postelisione, quam vocant, summam tandem, opinor, critici confecerunt. Non eliduntur *μοί*, *σοί*, dat. sing. *ι*, praeter ea quae nota sunt, *περί*, *τί*, *ὅτι* cett.

In fab. Aj. 190 *τὸ μ'* etiam Schneidewinus falso pro *μοὶ* habuit. Hermannus quidem primus *μ'* esse *με* vidit, sed perperam interpretatus est: „Ne tibi malum in me opprobrium contrahe." — *Μή μ', ἄναξ, κακὰν φάτιν ἄρῃ* dictum est e figura etymologica ut El. 556 *τινὰ λόγους ἐξάρχειν*, O. C. 1120 *τέκνα μηκύνω λόγον*. Vid. ed. Wolff. l. l. — In *οἴμοι* syllaba *μοι* pronominis potestate amissa occupavit interjectionis locum, quare elidi potest.

Vocalis *ε* histrioni cum auctoritate fere *τοῦ* jota enuntianda erat, quod ex iis locis cognosci potest, ubi vocalis illa validior *τῷ ε* infirmiori praecedit. De qua re uberius disputavit Elmslejus ad Heracl. 693, etsi quibusdam in locis legem enallagae casuum justo latius extendit. Ita O. C. 1435 *θανόντ'* pro accusativo haberi vult, sed nullo modo tragici illam enallagam ita admittunt, ut dativum accusativus sequatur continuo, sed pluribus verbis interjectis utrumque sejungunt.

§. 48.

Locum ita habemus.

σφῷν δ' εὖ διδοίη Ζεύς, τάδ' εἰ τελεῖτέ μοι
θανόντ', ἐπεὶ οὔ μοι ζῶντί γ' αὖθις ἕξετον.
μέθεσθε δ' ἤδη, χαίρετόν τ'. οὐ γάρ μ' ἔτι
βλέποντ' ἐσόψεσθ' αὖθις. Ant. *ὢ τάλαιν', ἐγώ.*

Ante omnia scriptum velim

θανόντι· ἐπεὶ . . .

Ita enim enuntiandum est, ut i sono validiore quam e audias, atque *τὸ ε* ab illo i paene cum aspiratione *τοῦ* jota audito satis oppressum videatur.

Tum vero permirum mihi videtur, quod nemo adhuc sententiam totius loci foede vitiatam sanare serio conatus est. Nemo erit, qui me quidem difficilius a se impetrare possit, ut desperet ea, quae a libris traduntur; ineptum

tamen est ineptiis parcere. Hermannus quidem ad ἔξετον suppleri jubet τελεῖν, sed quid profecit sententiae? Quid enim volunt haec: „Quum vivum me sepelire nequeatis?" Vivum videlicet! Si autem impavida sectione ita sanamus:

τάδ' εἰ τελεῖτέ μοι
θανόντι· ἐπεί με ζῶντά γ' οὐκέθ' ἕξετον —

verba ἐπεί . . . ἕξετον moestitiam ac dolorem, quibus paulisper obrepitur Polynices, loco aptissimo exprimunt. Quum autem, etiam si librorum lectionem servares, verba οὐ γάρ μ' ἔτι βλέποντ' ἐσόψεσθ' αὖθις putidissimam doloris ostentationem contineant minimeque Nostro tribuendam, conjicio ita:

μέθεσθε δ' ἤδη, χαίρετ'·
Ant. Ὦ τάλαιν' ἐγώ.

Ita pluralis ac dualis vicissitudo remota est, quum Polynices postremis suis verbis jam non solum sorores, sed fortasse leni significatione vel patrem sit allocuturus. Satis superque est, quod in v. 1433 (ἐπεί μ' . . .) animo suo commoto indulsit. Tum vero ut sese colligat decessumque paret expectamus. Hoc modo omnia optime procedunt. Quis autem nesciat, quid histriones vel librarii animi nimis mollis ac sensualis in poetis interpolaverint? Quorum vestigia bene novimus in Trach. 1442, Aj. 571, maxime in Euripide.

§. 49.

Unus tamen locus, Trach. 675, adhuc emendationi pervicaciter repugnavit, etsi littera elisa in ἀργῆτ' affatim ex εὐέρῳ πόκῳ potest cognosci.

Ceterum litterae υ, ι, ε, praeter necessitatem interpretes vexaverunt. Nam in his locis ὡς θεῷ (quod saepius reperitur) — ἀλλ' ἔα με ναίειν (O. v. 1451) — δρᾶσαι δικαιοῖ, δυοῖν ἀποκρίνας κακοῖν (O. v. 640) — quamvis oculis bisyllaba cernas vocabula, tamen histrionis linguae monosyllaba fuerunt, quum illas tres vocales paene ut jota pronuntiaret. Itaque fortasse facillime expediri potest Trach. 675, cum perscribimus ἀργῆτι οἰός . . .

Vid. etiam Schneidew. ad Phil. 4, quocum loco alii pugnant, ubi in illas vocales justo injustior est. Item est

inconstantiae cum illo scribere μὴ ἀποκλῆσαι, aliis tamen locis verte μὴ 'πιμεῖναι, alia.*)

De linguae tragicae thesauro.

§. 50.

Sermo tragicus fere totus Aeschylo debetur. Et prosperrime quidem evenit, ut is poeta, cui vis plastica, quum mimica ars nondum exculta esset, adhuc solum in cogitationibus collocanda erat (cf. §. 6), a natura maxima sententiarum gravitate audacissimaque vi cogitandi donatus esset. Aeschylus enim non solum nova verba composuit, sed etiam novas comparationes, metaphoras, omnino quaedam orationis ornamenta dramati suppeditavit. Noli enim mirari tragoediam epicae poesis opes respuisse. Ex illo thesauro Maeonii vatis, tam saepe simplicitate sua ac sin-

---

*) Simus contenti iis, quae libri tradunt; novis autem poetae importandis non opus est. O. r. 1513 legimus

νῦν δὲ τοῦτ' εὔχεσθ' ἐμοί,
οὗ καιρὸς ἀεὶ ζῆν, τοῦ βίου δὲ λῴονος
ὑμᾶς κυρῆσαι.

Οὗ καιρὸς ἐᾷ ζῆν Dindorfius proposuit, Wunderus, Nauckius receperunt.

Quum ἀεί, quod ap. tragg. ubique habet τὸ α correptum, h. l. anapaestum medio in versu efficiat, falsum esse oportet. Si mutamus αἰεὶ rejecto articulo τοῦ, caesura quidem versus tolli videtur (nec mihi quidem, si pausam inter ζῆν et βίου non fortius premo), sed hoc vitium multo praeponderatur molestissimi articuli τοῦ remotione. Denique quum omnes editores videam hanc sententiam cupivisse: „Nunc autem opto ut vos“ — pro „nunc optate ut ego...“ — mirum habeo, quod nemini adhuc incidit in mentem lenissima mutatio haec:

νῦν δὲ ταῦτ' εὐχή 'στ' ἐμοί.

‚Nunc autem id mihi optatum est, ut semper vivam equidem, ubi vivere decet pro mea conditione, vos autem .....“ —

ceritate hilaritatem quandam nobis extorquentis, pauca tantum sibi mutuari potuit poeta tragicus, quippe cui praeter naturae veritatem etiam *dignitate* quadam rerum opus esset. Quae simplices et agrestes homines priorum aetatum sancta habuerant, horum cadebat auctoritas apud homines arte cultuque fucatos.*)

Gravitas illa atque circuitus notionum tragoediae propriarum consistit et in certa quadam terminologia affectuum et in thesauro translationum ac figurarum. Quo accedunt orationis ornamenta quaedam quae continentur grammaticis figuris a tragoedia usurpatis, ut fig. etymol., oxymoris, *σχήματι καθ' ὅλον καὶ μέρος*, aliis. — Quorum vestigia si per omnes tres tragicos persecutus eris, facile colliges, quantopere Aeschylo (magis etiam fortasse qui eum antecesserunt) in iis excolendis laborandum fuerit, quantoque cum rigore, non raro tragoediae male convenienti illa appareant. Sophocles primus quid deceat ubique sentiens huic rei moderationem quandam intulit, quam quidem Euripides nimis captando leporem et elegantiam rursus extinxit. Quod ad Aeschyli studium verborum nove componendorum attinet,**) res erat fortuita solique ejus personae adhaerens, quare hic non respicienda.

Assumuntur notiones

§. 51.

Ex rebus nauticis.

ἄγκυρα, spes, praesidium (*πόλεως*, *δόμου*).

αἴρω etsi saepe simpliciter *tollere* (et auferre et efferre), Graecos tamen saepius admonebat *τοῦ ἄγκυραν*, *ἱστία*, *σημεῖα αἴρειν*. Itaque *αἴρειν* vel *αἴρεσθαι δειλίαν*, *ὄγκον*, *θυμόν* quasi signum tollere superbiae, irae.

ἐρέσσω, *ἐρέσσεσθαι*, *ἐρετμός*, *agitari*, *moveri*, *πτερύγεσσιν*, *οἴστρῳ*. — *μῆνιν ἐρέσσειν violento modo iram*

*) Homero quidem cum asino comparare Ajacem licuit, sed jam non poetarum cuiquam Olympiadis LXXX. Tragoedia nonnisi certissimae notae animalia in usum insumsit. Et si quaeris, uter locorum illorum, ubi Ajax et cum leone et cum asino comparatur, veterior sit atque germanior, vincet utique asinus leonem.

**) Comportata sunt in glossariis editionum Blomfieldi.

promere. — *χάριν, γόους ἐρέσσειν laetitiam, plangorem acriter tollere.*

κλυδών, τρικυμία, χεῖμων, ζάλη, sc. *τύχης, κακῶν, θρηνῶν, μανίας, δορός* (*belli tumultus*), *γήρως* (senectutis aerumnae).

λιμήν locus, quo quae res conveniunt; *asylum.*

ὁρμεῖν ancoram jacere, h. e. *fulciri, niti, positum esse* in alqua re. *ἐπὶ σμικροῖς* O. C. 146. —

ἐν σπαργάνοισι παιδὸς ὁρμεῖ δίκη Choeph. 492.

οὖρος. κατ' οὖρον vento secundo ἐρέσσειν γόους. — *ταῦτα ῥείτω κατ' οὖρον prospere haec fiant!* — Trach. 468: *οὖρος αὐτῇ γένοιτο καλὸς ἑρπούσῃ bonis avibus abeat!*

πρύμνα plerumque *τῆς πόλεως*, quam figuram valde amat Ayschylus.

πρύμνᾳ πόλεως οἴακα νωμᾶν Sept. 2. — *περὶ πρύμναν πόλεως καχλάζει κῦμα κακῶν.* — Omnino hic tropus de civitate gubernanda usurpatus jam antiquissimis temporibus omnium fere populorum reperitur. Inprimis Romani eum adamant. (cf. Horatium. Graecorum exempla congessit Orell. ad. Hor. carm. I. 14.)

πίτυλος remigandi labor, remorum pulsus, saepissime de lamentantium *planctu* dictum. *ἀμφὶ κρατὶ χεροῖν πίτυλος*, alia. In deliciis haec vox est praecipue Euripidi. Ita apud eum *δακρύων πίτυλος* vis *lacrimarum fusarum. σκύφου πίτυλος vinum in poculo bulliens.* Tum de quovis animi affectu adhibetur.

§. 52.

E serendi metendique negotiis.

Multa ad res matrimoniales referuntur.

ἀμάω, ἐξαμάω. — *οἵ ἤμησαν καλῶς quibus* res prospere evenerunt Ag. 1014. — *θεῶν κοπὶς ἀμᾷ τὸ γένος exstirpat* Ant. 603. — *ἐξαμᾶν γένους ῥίζαν* Aj. 1178. — *σπλάγχνας ἐξαμᾶν lacerare* Eur.

ἀνθέω audacissime adhibitum. *πάθος ἀνθεῖ, πέλαγος ἀνθεῖ νεκροῖς* Aesch. — *νόσος ἀνθεῖ* Soph. — *αἱματηρὸν πέλανον ἐξανθεῖν ἁλός* Eur. — Cf. vinum floret in poculo (sc. spuma) Col. 12, 30. Pari audacia

dicunt *φάμα ἔλαμψε* O. r. 473; *παιὰν δὲ λάμπει.* O. r. 186.*)

ἄνθος i. q. *ἥβη.* — *χρημάτων ἄ.* *copia.* — *μανίας ἀνθὸς culmen, summum.* — *ἄ πυρός* est *id, quo quis ornatur, gloriatur* Aesch. Prom. 7.

ἄρουρα, ἄλοκες, γύαι gremium. Choeph. 735, O. r. 1211, 1256, 1497, 1485, Ant. 569.

καρπόν, γλώσσης ματαίας ἐκβάλλειν execrationes ejicere. Eum. 750. *καρπὸν λόγων, ὀδύνων eventus, exitus.*

σπείρειν gignere. παῖδες οὓς κεῖνος σπείρων μόνον προσεῖδε κἀξαμῶν ἅπαξ Trach. 33. *σπ. βάξιν* famam serere, rumorem spargere.

Ex actionibus sensuum exteriorum.

βλέπειν, ὁρᾶν, λεύσσειν φάος vivum esse, etiam omisso *φάος.*

γεύεσθαι affici alqua re πένθους, γόων satiari questu, (inest quaedam litotes, minus dicens quam significans.) sed *γ. ἀρχῆς, ἀνδρός frui.*

δαίνυσθαι. — *δαίνυται νόσος pascitur* Trach. 1089, *ἐχίδνης ἰός* Trach. 791. *Ἅιδης τέκνα δαίνυται.* — *δ. ἵμερον τέκνων* El. 543.

δάκνω. — *δάκνει ἄλγος, ὄνειδος.* Etiam *δάκνεσθαι* absolute pro *stomachari, moleste ferre.*

κνίζειν pungere. *κν. τινὰ τὸ λέχος, ὁ ἔρως.* — *κνίζει τὸ βούλεσθαι instigor.*

πίνειν latissimi usus. *πίνει τὸ αἷμα κόνις, γῆ,* cett.

§. 53.

Ex animalium consuetudinibus.

πέτομαι, notio tam late patens quam nostrum fliegen. Apud Homerum *πέτονται* vel *πτερωτά εἰσι βέλη, ἐρετμά, νᾶες, νόημα, ἔπεα, θυμός, πόδες,* alia. Ab

---

*) El. 48 *ἠνθισμένος* recte servatum, perperam explicatum. Non est enim i. q. *πολιός* (quae tautologia illic satis ingrata esset) sed, ut Bothius interpretatur, *floribus ornatum,* more eorum, qui laeta nuntiaturi accedebant. Bergkii *ἠκισμένον* rejiciendum est, quum *αἰκίζειν* ubique est *verberibus castigare vel insultare,* quod minime ille locus vult factum esse paedagogo.

avibus omnino infinita translationum multitudo detrahitur, quam enumerare longum est. Insolentius dicta sunt O. C. 98 *πτερὸν ἐξ ὑμῶν ἐξήγαγεν vobis ducibus perveni.* — *πόνου πτερὸν decursus* Suppl. 324. — *Παλλάδος ὑπὸ πτεροῖς tutela* Eum. 455. — *οἱ μὲν οὐδέπω μακρὰν πτέσθαι σθένοντες* (sc. *νεοσσοί*, pulli, infantes) O. r. 17. — *νεοσσὸς πτέρυγας εἰςπίτνων ἐμάς infans vestibus se applicans.* Eur. Tro. 751. — *πέτομαι ἐλπίσι* Or. 487. —

ὀρρωδία ab avibus desumtum, quae metu caudam sub alvum reflectunt. Tum omnino *timor, anxietas.*

πτώσσω fere id quod *πτήσσω*, ſich ducken; significat motum leporum aviumque caput metu demittentium. *πτὼξ* fugax, etiam ipse lepus ap. Aesch. — Phil. 1093 novissimi editores malis avibus servaverunt *πτωκάδες*. Restituendum puto illud Brunckianum *πλωάδες* (*πλέω*) i. e. *νεφέλαι* „Segler der Lüfte." Num avium *trepidarum* est aliquem in auras offerre? Quod autem *πτωκάδες* pro *αἱ πρὶν πτωκάδες* dictum esse contendunt, est interpretum quidem, neqne vero spectatorum, quibus in audiundo tantum temporis non erat relictum, ut pariter bene commodeque ac lectores illud *πρὶν* mente sibi accesserent. Denique *πτωκάς* musquam alibi, *πλωάδες* semel a Plut. qu. gr. 7 traditum est.

σαίνω de canibus dictum qui *adulantur* aliquem. — *σ. μόρον placare.* — *ἀνάγκαις γαστρὸς σαίνει τέκνον* in ventris necessitatibus infans (matrem) adulatur. (Noli cum allis dativum ad *σαίνειν* referre, quasi esset *cedere, obsequi necessitati.)* Ag. 705. — Saepius *σαίνεσθαι ὑπ' ἐλπίδος, ἀγγελίας.* — *παιδός με σαίνει φθόγγος in aures obrepit.* Ant. 1214.

ὑλακτέω procaci lingua loqui.

§. 54.

Accedant alia quaedam a tragicis proprie usurpata.

Ex amoris sermone sunt *μόσχος* (puella), *σκύμνος* pr. leonis catulus, tum aliquis heroe natus.

ὄρνις, ubi dicitur de puellis trepidis, gallinam significat, ubi de avibus ipsis — saepe *volucres rapto viventes.*

χρώς et **χροία**, utroque apud Homerum promiscue adhibito, a tragicis accurate ita distinguuntur, ut χρώς *pellem*, χροία ejus *colorem* significet.

ἀπαυρόω, ἐπαυρίσκομαι, quae verba in tragg. saepius cruces interpretibus effecerunt raroque recte distinguuntur. Res ita se habet:

ἀπαυρᾶν *alqua re privare*, tum in med. *detrimenti aliquid pati*. Nos: „Das hast Du davon!" — Prom. 28 ταῦτ' ἀπηύρω τοῦ φιλανθρώπου τρόπου· ubi Schoemannius aliique ex uno cod. perperam receperunt ἐπηύρω. Omnino ἀπαυρᾶν est *aliquid sibi auferre*, at malum et noxium aliquid; lucrum facere, quod revera detrimentum est dicendum. ἐπαυρεῖν aliqua re *vere frui*, alcjs rei *participem fieri*, *attingere*, *haurire*. ἐπ. tum tantum de detrimento noxaque usurpant tragici, ubi sarcasmo acerrimo volunt imbutum, id quod ubique tenendum est.

Itaque quum locis nonnullis lectiones codicum fluctuent, vera lectio hac lege erit restituenda. Cfr. Pers. 923, Iph. T. 516. Andr. 1029, Hel. 477. Non satis premit haec discrimina Buttmannus in lexil.

§. 54a.

Voces ancipites, quas μέσας dicunt grammatici, sunt:

ἐλπίζω suspenso animo esse: sive sperare sive timere.

στέργειν suspenso animo ferre: sive amare sive pati. Nos.: sich gefallen lassen.

τάλαινα stupentis est O. C. 317.

φεῦ gaudentis. Phil. 234. Item ἰού, ἰώ.

συμφορά, fortuna.

δέμας, πλευραί, κάρα, σῶμα, γόνυ, γένειον saepe pro nudo pronomine posita sunt, neque lusus poëtarum inanis est. Graeci enim ea tantum, quae certissimis notionum finibus circumscripta sunt, alloqui student, et partes totius cujusdam appellatione definita notare malunt quam totum ipsum voce indefinita appellare.

ἐν ἀνδράσιν εἶναι ἀριθμὸν εἶναι numeros esse (Hor. epist. I. 2, 27). ἀριθμὸς λόγων inania verba! O. C. 382. — ἐν ἀνδράσιν ἦν „lief so unter Männern mit." Troj. 491, Heraclid. 997, Her. fur. 41.

§. 54 b.

μασχαλίζω mutilare mortuos. Electra in Choeph. 403 et in Soph. El. 438 nihil nefandius queri potest quam quod Clytemnestra patrem interfectum etiam crudelissime mutilaverit. Affero hoc verbum, quia nusquam alibi graecorum ingenium magis mihi apparuit quam locis ejusmodi. Erat enim terribile Graecis, cogitare fore ut corporis pulchritudine, qua nihil pluris habebant vivi, privati ad manes descenderent. Quare jam ap. Hom. legimus H. ξ, 142:

ὁ μὲν ὥς ἀπόλοιτο, θεὸς δέ ἑ σιφλώσειεν.

Ubique autem in Hom. maximi odii est devictorum corpora mutilare. Ap. Hor. III, 27, 53 Europa mavult salva pulchritudine corporeque nondum deformato pascere tigres quam macie maeroreque deformis Orcum intrare. Et Stat. silv. II, 154.

Gratum est, quod non mors lenta jacentis
Exedit puerile decus, manesque subivit
Integer et nullo temeratus corpora damno.

§. 54 c.

Ἑκάτη. De hoc nomine sic mihi videtur. Primis temporibus populorum vigore sensuum quodam praeditorum, quales Graeci erant, humanae naturae proprium erat numina, quae maxime metuenda credebant aut quorum propinquitas mortalibus imperabat *τὸ εὐφημεῖν*, nomine quam potuerunt lenissimo faustissimoque apellare. Ex iis erant *Εὐμενίδες*, *Ἑκάτη*. Non est meum hic narrare, quae hujus deae munera, qui honores fuerint, quum solum de hujus vocis etymologia expositurus sim. Erat antiquissimis temporibus verbum quoddam nativum, cujus reliquias conspicimus in *ἑκών*, *ἕκηλος*, praecipue in illo Homeri *ἕκητι* (*θεοῦ*, favente deo, per dei gratiam). Ab illo verbo etiam *Ἑκάτη* originem duxit. Sed quia propriae potestatis esse haec dea sensim desiit atque cum aliis numinibus (Artemin, Selenen dico) coaluit, hujus derivationis memoria periit, opportune tamen simul oblatum est epitheton quoddam Dianae a fratre ejus *ἑκατηβόλῳ*, *ἑκάτῳ* arcessitum. Obscure tantum in animis posteritatis haesit prisca notio

deae *clementis, propitiae*, quam nonnunquam etiam tragici sensisse videntur. Ἑκάταν γυναικῶν λόχους ἐφορεύειν Aesch. Suppl. 676. Hecate Asiaticae originis erat, Graeci autem pro eorum ingenio hanc deam ut alia numina [commoneo illarum Tauropolae Tauricae (Artemidis), Chryses Lemnicae (Minervae)] acceperunt quidem, sed mox coloribus graecis imbuerunt ac domestica numina substituerunt. Ceterum compares Germanorum numen crepusculi ac triviorum Frau Holle, Hulda (Huld).

De grammaticis Sophocleae pronunciationis rationibus.

§. 55.

Quum vitium semper verterint Sophocli, quod orationem nimis pressam et obscuram captarit, mirum habeo neminem adhuc aequo jure de oratione ejus latiore ac verbosiore esse conquestum. Ex quo divinari potest quam justis rationibus Noster ubique et lata et pressa miscuerit; omnia enim, quae fortasse grammaticorum severitas reprehendere possit, a lege τῆς προςωποποιίας nunquam non imperantur. Conspectus gratia rationes grammaticas ita disponam:

A. Oratio pleonastice ficta.

1) Duplices protases et apodoses, plerumque anacoluthiae formis usae.
2) Participia quae quidam dicunt supervacua.
3) Anaphora.
4) Figurae etymologicae amphificatio.
5) Parallelismus atticus vel antitheticus.
6) Paraphrasis.
7) Σχῆμα καθ' ὅλον καὶ μέρος.
8) Geminatio particularum quarundam.

B. Oratio brachylogice ficta.

1) Asyndeton.
2) Aposiopesis.
3) Zeugma et *τὸ ἀπὸ κοινοῦ.*
4) Participia omissa.
5) Figurae etymologicae contractio.
6) Infinitivi absoluti.
7) Attractiones diversissimi generis.

Tertium genus adjicere possis ea quae dicuntur Oxymora, Hypallagae et Enallagae, Hyperbata, Constructio *κατὰ τὸ σημαινόμενον.*

---

§. 56.

Duplices protases et apodoses.

Ut omnino orationem pleonasticam (§. 15), ita haec quoque adtributa esse videmus animis vehementer commotis, nuntiis loquacibus, hominibus simplicissimis. Exempla haec sunt:

O. r. 338 *ὀργὴν ἐμέμψω τὴν ἐμήν· τὴν σὴν δ' ὁμοῦ ναίουσαν οὐ κατεῖδες, ἀλλ' ἐμὲ ψέγεις.*

Quem locum inhabili modo expressum esse fortasse putes, praesertim quum verba Tiresiae sint, vatis nunquam de quadam dicendi excelsitate descendentis, sed poeta tautologiam ita aliquid temperavit, ut *μέμφεσθαι* cum *ψέγειν* mutarit. Fortasse: Dich bringt mein Zorn auf, doch den deinen siehst du nicht, und tadelst mich!

O. r. 166 *προφάνητέ μοι, εἴ ποτε . . . ἠνύσατε, ἔλθετε καὶ νῦν.*

Verba *εἰ* — *ἠνύσατε* a duplici apodosi circumcluduntur. Videtur ingeniosissimus quisque poeta id nonnunquam lusisse, ut auditores vel lectores haesitantes redderet de nonnullis *ἀπὸ κοινοῦ* positis.*)

---

*) Cujus generis etiam in Horatio observavi haec: Sat. I, 1, 88 *nullo labore* — quos tibi dat? retinere velis? Carm. II, 14 *corporibus* — nocentem? metuemus? C. II, 11, 11 *aeternis consiliis* — minorem? fatigas? C. I, 3, 32 semoti *prius* tarda necessitas leti. C. II, 17, 23. *Saturno* refulgens? eripuit? III, 8, 19 infestus *sibi* luctuosis, III, 10, 10 currente *retro* funis eat rota. III, 23, 15 tentare *deos* coronantem.

Aj. 968 ὧν γὰρ ἠράσθη τυχεῖν, ἐκτήσαθ' αὑτῷ, θάνατον, ὅνπερ ἤθελεν.

Qui locus eo magis notandus videtur, quo magis Tecmessa, prudentissimarum mulierum una, alioquin sermonis artificiosissimi nimis amans, in verbis partium suarum postremis dolore ita opprimitur, ut eandem cogitationem justo latius illic terat. Tecmessa ex iis hominibus est, qui dolores suos, ut medicus vulnera, insecare atque maerorem suum argutiis perpendere solent. Quam rem tibi probabunt loci inprimis hi: v. 265—277 ubi chorum justa fere aenigmata solvere jubet. v. 966. Notes etiam indignationem ejus de illis "ἀεὶ ὑμνουμένοις" v. 293, atque prudentiam, qua puerum ex oculis viri insanientis amovit v. 531. Verborum et factorum fere quodque quasi ad calculos revocans questui parum spatii permittit, sed quae providenda sint, sine mora circumspicit. Ubique acumen quoddam loquendi ostendit, atque quamvis dolore affecta sit, omnes sermonis argutias captat. Cf. 904, 942, 966, 969.

Trach. 684. καί μοι τάδ' ἦν πρόρρητα καὶ τοιαῦτ' ἔδρων,
τὸ φάρμακον τοῦτ' ἄπυρον ἀκτῖνός τ' ἀεὶ
θερμῆς ἄθικτον ἐν μυχοῖς σῴζειν ἐμέ,
ἕως ἂν ἀρτίχριστον ἁρμόσαιμί που.
κἄδρων τοιαῦτα. νῦν δ', ὅτ' ἦν ἐργαστέον,
ἔχρισα μὲν κατ' οἶκον ἐν δόμοις κρυφῇ μαλλῷ.

Iis qui versum 684 deletum voluerunt, in tempore respondit Schneidewinus ad l. l., quem vide. Nihil humanius esse potest quam quod Dejanira maximo animi angore affecta cogitata repetat denuoque eorum obliviscatur.*)

Aj. 625 μήτηρ ὅταν νιν νοσοῦντα ἀκούσῃ, αἴλινον, αἴλινον,
οὐδ' οἰκτρᾶς γόον ὄρνιθος ἥσει, ἀλλ' ὀξυτόνους ᾠδὰς θρηνήσει.

---

*) Noli tamen verba in v. 689 κατ' οἶκον ἐν δόμοις putare sana! — κατ' οἶκον oppositum esse volunt cuidam θύραθεν, ἐν δόμοις dictum pro ἐν μυχοῖς, cui accedere sinunt κρυφῇ!! Imo Dejanira quum in anxietate proferat omnia, quibus sese purgari putat, etiam id premat necesse est, quod Centauri jussis exacte paruerit. Itaque vide annon lenissima mutatione sic melius legatur: κατ' ὀρθὸν ἐν δόμοις (rite ac juste).

O. C. 1239 *ἐν ᾧ τλάμων ὅδ' ὥς τις ἀκτὰ κλονεῖται ὣς καὶ τόνδε ἄται κλονέουσι.*

O. r. 889 apodosis a duplici protasi circumclusa: *εἰ . . . πορεύεται, ἕλοιτό νιν μοῖρα, εἰ μὴ κερδανεῖ . . . .*

§. 57.

Phil. 263—68:

ἄν οἱ στρατηγοὶ ἔρριψαν ἔρημον, νόσῳ καταφθίνοντα, ξὺν ᾗ μ' ἐκεῖνοι προθέντες ᾤχοντο, ἡνίκα κατέσχον δεῦρο . . . .

Mirum exemplum artis pathologicae! An tibi nunquam contigit, ut senem prae ira fere lacrimantem videres, iraeque causas iterum iterumque proferentem? Buttmanno negligentiam huic loco exprobranti egregie Hermannus negligentiam quidem esse respondet, at gratissimam. Ridiculum enim esse postulare ut sint „lepide lexeis compostae, ut tesserulae, omnes" (Lucil. ap. Cic. or. 44). Omnino hic mecum consideres indolem et mores illius Philoctetae. Proprium maxime ejus est ubique abundantius loqui atque laborare quomodo planissime exprimat cogitationes. Vid. Schneidew. ad Phil. 225—29. 236. *παρατάξεις*, repetitiones, *ἐπανορθώσεις*, parallelismum atticum, alias pleonastici sermonis formas frequentissime apud eum reperies.

Quoties repetit *τὸ οἴχεσθαι*! v. 269, 273, 277, 280. Solitudo eum reddidit puerilem, quare orationem saepe puerili modo format. v. 292 animadverte illud repetitum *πρὸς τοῦτ' ἄν*: „Nach Dem hin, was der Pfeil traf, mußt' ich mühsam hinschleppen den Fuß, nach Diesem hin!". *Τὸ ἄν*, quia v. 289 omiserat, sibi afferendum esse putat v. 292. *Ἄν* enim varios casus exprimit actionis cujusdam, quotcunque fieri poterant. (*εἶτα πῦρ ἂν οὐ παρῆν* es kam wohl auch vor, daß . . .) Atque compluries sibi accidisse illud *ἕλκεσθαι πόδα πρὸς βοράν*, Neoptolemo videlicet necessario nuntiandum erat! Nonne mecum conjicias, lector benevole, Philocteten, quamdiu in prosperitate degebat, multi joci ac festivitatis fuisse? Ac profecto hos jocos, etsi acerbitate quadam imbutos, etiamnum in adversis rebus non dedidicit! v. 485 *προσπίτνω σε γόνασι, καίπερ ὢν . . . χωλός* v. 497 *ἢ τὰ τῶν διακόνων, ὡς εἰκός, οἶμαι, τοὐμὸν ἐν σμικρῷ μέρος ποιούμενοι ἤπειγον οἴκαδε.* „Das Botenvolk, ohne sich um meine Aufträge

zu kümmern — natürlich! (weil kein Geschäft dabei zu machen war)." Adde v. 500, πομπὸν quam salve τῷ „ἄγγελον" procedat! v. 624 πεισθήσομαι γὰρ ὧδε κἂξ Ἅιδου θανὼν πρὸς φῶς ἀνελθεῖν. Nun, so gehorchen will ich ihm, so wahr ich einst als Todter wiederkomme! — Eadem amara festivitas v. 800, 283. — Ubicumque de salute ejus agitur, servilissime se gerit et ad infimas preces descendit, iracundiae autem et exsecrationum modum novit nullum; omnino ipse scies homines efferatos modum semper excedere et in contumaciam et in adulationem. Quam anxius, ne asperius orationem promat, demississima verba captat! Ita, ne nautis nimis molestus sit (v. 647) de rebus secum portandis dicit

ἀλλ' ἔστιν ὧν δεῖ, καίπερ οὐ πολλῶν ἄπο.

Nam hoc ἀπὸ iterum partiri videtur illud ὧν δεῖ.

v. 649 φύλλον τί μοι πάρεστι nur ein Paar Kräuter.
v. 652 τὶ τόξων τῶνδε etwas von dem Bogenzeug da.

Pluralis contemtum rei ac tenuitatem exprimit ut v. 36 τεχνήματα Machwerk. Sed illum arcum, cujus auctoritatem tantopere antea deminuerat, quanto honore rursus exornat, ubi Neoptolemus de eo interrogat, inde a v. 655 ταῦτ', οὐ γὰρ ἄλλα γ' ἔσθ' — ja ja das ist er! Kanns denn auch wohl ein anderer sein? cett.

Timentis, ne Neoptolemus morbi causa se relinquat, est ille versus 759

ἥκει γὰρ αὕτη διὰ χρόνου, πλάνης ἴσως ὡς ἐξεπλήσθη —

„venit hic morbus longis tantum intervallis, abiens pariter ut famem explevit", (quare noli metuere, ne in itinere rediturus sit) *).

Sed ut ad propositum redeamus, Ant. 426 nuntius duabus enuntiationibus adjungit unam apodosin:

ἡ παῖς ἀνακωκύει ὄρνιθος φθόγγον, ὡς ὅταν ὀρφανὸν νεοσσῶν βλέψῃ λέχος, οὕτως δὲ χαὔτη ἐξῴμωξεν.

---

*) Sic cum Hermanno scriptum velim pro πλάνοις, quod alii codd. habent. Sententia supra allata aptior videtur Philoctetae omnia tentanti, ut domum ducatur.

El. 1267. Electra gaudio commotissima sic: *ἔφρασας ὑπερτέραν χάριν, εἴ σε θεὸς ἐπόρισεν (πρὸς ἡμᾶς), δαιμόνιον αὐτὸ τίθημ' ἐγώ.*
Trach. 432 *ὡς πόλις δαμείη ταύτης πόθῳ, κοὐχ ἡ Λυδία πέρσειεν αὐτήν, ἀλλ' ὁ τῆσδ' ἔρως.*

§. 58.

Contemtionis sunt cogitationes ita uberius expressae: Aj. 1114 *οὐ τῆς σῆς οὕνεκ' ἐστρατεύσατο γυναικός, ἀλλ' οὕνεχ' ὅρκων ...... σοῦ δ' οὐδέν.*
Ant. 465 *οὕτως ἔμοιγε τοῦδε τυχεῖν παρ' οὐδὲν ἄλγος· ἀλλ' ἄν, εἰ τὸν ... ἄθαπτον ἐσχόμην, κείνοις ἂν ἤλγουν· τοῖσδε δ' οὐκ ἀλγύνομαι.*
Precum fortius inculcandarum sunt O. C. 91, Aj. 840. Denique irae praecipitis, sententiam quam potest gravissime obtrusurae. Ant. 1042, El. 575.

§. 59.

Aliud pronunciationum genus est, ubi apodosis lege syntaxeos resputa se reddit proprii juris, cujusmodi apud Aesch. sunt innumerabiles, eaeque praesertim illius parataxeos Homericae (cf. Nägelsbach Excurs. XII ad Il.) nos commonentes. Est autem haec oratio, maxime ab Ajace, Philoctete, Oedipo sene usurpata, eo aptior ad animos movendos, quo simplicioribus vocibus utitur.
Aj. 458 *καὶ νῦν τί χρὴ δρᾶν; ὅστις ἐμφανῶς θεοῖς ἐχθαίρομαι, μισεῖ δέ μ' Ἑλλήνων στρατός, ἔχθει δὲ Τροία* ... (Verba *μισεῖ, ἔχθει* se abducunt ab auctoritate *τοῦ ὅστις*).
Aj. 372 *ὦ δύσμορος, ὃς χερὶ μὲν μέθηκα τοὺς ἀλάστορας, ἐν δὲ βουσὶ πεσὼν .... αἷμ' ἔδευσα.*
Aj. 433 ... *ὅτου πατὴρ μὲν τὰ πρῶτα ἀριστεύσας πρὸς οἶκον ἦλθε, ἐγὼ δ' ὧδ' ἀπόλλυμαι* (Pro: *ἐπεὶ γὰρ ὁ πατὴρ ... ἦλθε, ἐγὼ ὧδ' ἀπ.*)
O. C. 351 *ἡ μὲν, ἐξ ὅτου τροφῆς ἔληξε, ἀεὶ πλανωμένη γεροντάγωγεῖ, πολλὰ . . . ἀλωμένη, πολλοῖσι ... μοχθοῦσα, δεύτερ' ἡγεῖται τὰ ἑαυτῆς.* — Quamquam etiam ita interpungi possis: — *μοχθοῦσα τλήμων. δεύτερ' ἡγεῖται . . . διαίτης, εἰ πατὴρ ... ἔχοι.*

O. C. 133 ἃς τρέμομεν λέγειν καὶ παραμειβόμεσθ' ἀδέρκτως, . . . τὰ δὲ νῦν τιν' ἥκειν λόγος οὐδὲν ἅζοντα. (Pro ἃς τρ. λ. παραμειβόμενοι . . . . [ἃς] νῦν δέ τινα οὐδὲν ἅζειν λόγος ἐστίν).
O. C. 424 μάχης, ἧς νῦν ἔχονται κἀπαναίρονται δόρυ (Pro: ἐφ' ᾗ ἐπαναίρονται).
O. C. 467 ἐφ' ἃς . . . ἵκου καὶ κατέστειψας πέδον.
O. C. 634 τοιοῦδ', ὅτου παρ' ἡμῖν αἰέν ἐστιν ἑστία, ἔπειτα δ' ἱκέτης ἀφιγμένος . . . τίνει. (Pro: καὶ ὃς ἱκ. ἀφ. τ.).
Aj. 806 φίλοι πρόστητε . . . τύχης καὶ σπεύσαθ', οἱ μὲν Τεῦκρον μολεῖν, οἱ δὲ ζητεῖτε . . . (pro οἱ δὲ ζητεῖν).
Item O. C. 731 pro: ὃν μήτ' ὀκνεῖτε, μήτ' εἰς ἐμὲ ἀφῆτ' —
O. C. 17 pro: βρύων . . . καὶ κελαδῶν ἀηδόνων εὐστομουσῶν.
O. C. 866. — El. 190 pro: ἀμφισταμένη δὲ . . .
O. r. 1271 cf. Schneidew. — Trach. 54, 229. O. r. 452, 1200. Phil. 216.

§. 60.

In interrogationis formam transeunt haec:
O. C. 263 τί ὠφέλημα γίγνεται, εἰ τὰς Ἀθήνας φασὶ θεοσεβεστάτας . . . κἄμοιγε ποῦ ταῦτ' ἐστίν;
O. C. 1133 ἀνδρός, ᾧ τίς οὐκ ἔνι κηλὸς ξύνοικος;
O. r. 390 εἰπέ, ποῦ σὺ μάντις εἶ σαφής;
Huc spectat etiam Ant. 3
οἶσθ' ὅτι Ζεὺς τῶν κακῶν ὁποῖον οὐχὶ τελεῖ;
Ὅτι vult ea quae sequuntur tanquam accusativum esse ad οἶσθα, ὁποῖον hujus acusativi naturam propius definit. Tales constructionis mutationes incredibile quantum efficaces in scena sunt. Nos quidem aegre id imitari possumus, quin inter relativum illud generalius et interrogativum proprium aliquam interjectionem interseramus. Ex. c. O. C. 1133. Eines Mannes, dem — ha! welcher Schandfleck haftete nicht an ihm!
Acc. cum inf., subjecto non mutato, reperitur:
Aj. 606 ἐλπίδ' ἔχων ἔτι μέ ποτ' ἀνύσειν.
Trach. 706 ὁρῶ μ' ἔργον δεινὸν ἐξειργασμένην.

El. 471 δοκῶ με πεῖραν ... τολμήσειν ἔτι.
Item O. r. 1191. El. 65.

Gravius ita in aures cadit sententia, minimeque inopportuna haec sunt hominibus scenae. Etiam nos cum gravitate quadam locuturi in hujusmodi causis non solum plenam enuntiamus constructionem, sed vel singula verba incise accentu premimus.

Anacoluthice formata sunt haec:

O. r. 158 πρῶτά σε κεκλόμενος ... ἰὼ προφάνητέ μοι.
O. r. 818 a dat. transitur ad acc.
O. r. 824 structura duplex verbi εἶναι: ἐμοὶ μὴ ἔστι mihi non licet, μὴ ἔστι με ἐμβατεύειν (acc. c. inf.)
Aj. 680 ἐγὼ δ', ἐπίσταμαι γὰρ, ὅτι ἐχθρὸς ἡμῖν ἐς τοσόνδ' ἐχθαρτέος, ὡς καὶ φιλήσων αὖθις ... βουλήσομαι.
Aj. 791 δίας Ἀθήνας ἡνίκ' ηὐδᾶτο (pro Ἀθ. αὐδωμένης).
Trach. 336 nuntius ille verbosus, antecedentis verbi μάθῃς oblitus, iterum profert ἐκμάθῃς v. 337.

---

§. 61.

De participiis ut opinantur supervacuis.

Vehementer admiror quod, Lobeckio aliisque praecedentibus, etiam Scheidewinum de quibusdam participiis supervacuis loqui reperio. An poeta ille, cui pressum loquendi genus exprobrant, voculis supervacuis uspiam ad versum explendum indiguisset? Si quis hodie Eustathium aliosque rideat quod particulas quasdam apud Homerum complementa tantum et quasi ferrumina versuum habuerint, quid putas quanto minus in hanc suspicionem vocandum sit drama maximae ubique dicendi necessitatis studiosum! Sed ut poetae honores restituam, non potero quin singulos locos explanem.

§. 62.

Prae ceteris autem afferendum est illud unicum exemplum, cujus sententiam, concinne quidem ut solet, patrio sermone interpretari dignatus est Hermannus in Aj. 1131.

εἰ τοὺς θανόντας οὐκ ἐᾷς θάπτειν παρών.

Est in ejusmodi, inquit, additamentis saepe indignationis quadam significatio, similiter ut nos „Wenn Du kommst und willst die Todten nicht begraben lassen." —

Non solum indignationis, ego addiderim, sed etiam ludificationis, familiaritatis, procacitatis, ut extemplo cognosces. Ac statim adjicio exemplorum indignationem exprimentium reliqua.

Aj. 1386. ὡς ὁ στρατηγὸς .... μολών,
αὐτός τε χὠ ξύναιμος ἠθελησάτην —

Aj. 1115 ... πλείους δεῦρο κήρυκας λαβὼν καὶ τὸν στρατηγὸν ἧκε.

Indignantis ac despicientis est: Geh hin und nimm deine Herolde und bring auch den Feldherrn mit.

Ant. 768 δράτω, φρονείτω μεῖζον ... ἰών.
Er mag gehn und ....

Nuntiorum sunt quae sequuntur.

Trach. 421—22.
τίς πόθεν μολὼν
σοὶ μαρτυρήσει ταῦτ' ἐμοῦ κλύειν παρών;

Egregie haec exprimunt impudentiam illam, qua conscientia mala se involvere solet! Semper, sese ut purget, plus quam satis verborum facit: „Wo müßte denn der herkommen, der Dir das als Augenzeuge bezeugen wollte!"

O. C. 1587 ὡς γὰρ ἐνθένδ' εἷρπε, καὶ σύ που παρὼν ἔξοισθ' ...

Cum quadam moestitia familiari loquitur: „Das weißt Du ja, Du warst ja auch dabei!"

Ant. 1291 ἐγώ, φίλη δέσποινα, καὶ παρὼν ἐρῶ καὶ .....

Res adversae exaequant homines. Ita nuntius quoque e mera misericordia et cum intempestiva familiaritate loquitur, mirum solatium afferre putans:

„Ich kann Dir's sagen, ich war dabei!"

Profecte si latitudo carminis epici est in loquacitate, hae ῥήσεις epicae sunt!

Ant. 398 καὶ νῦν τήνδ' αὐτός, ὡς θέλεις, λαβὼν καὶ κρῖνε κἀξέλεγχε·

„Und da hast Du sie nun und frage sie und richte sie."

Voluptas suae ipsius salutis illum reddit verbosum.

Singularis autem pulchritudinis sunt haec:

Aj. 304 — συννιθεὶς γέλων πολύν,
ὅσην κατ' αὐτῶν ὕβριν ἐκτίσαιτ' ἰών·

Participium ἰὼν ad illam quidem ἔξοδον v. 287 spectare nemo negare poterit, sed nihilominus supervacuum esset, si nihil sibi amplius vellet. ἰὼν illius sermonis est liberorum (et homines insanientes nonne sunt tanquam liberi?): „Nun will ich geh'n und die Atriden züchtigen!"

Triumphus ejus puerilis minima quaeque momenta, quae fieri possint, verbose exprimit; eodem autem nempe pertinet τὸ ἰέναι! — Sed etiam dolor momentorum minorum nullum praetermittit:

Ant. 916 καὶ νῦν ἄγει με ... οὕτω λαβὼν ἄλεκτρον ....
„Und jetzt nimmt er mich und führt mich fort so ...."
λαβὼν questui plus animi tribuit. —

O. C. 475 Chor: .. ἔρεψον ... Oed. ποίῳ τρόπῳ;
Chor: οἰὸς νεαίρας νεοπόκῳ μάλλῳ λαβών.
„Mit Schafwolle, die mußt Du nehmen!"

Gravitatem pingit λαβὼν, quacum rustici illi Oedipo probare student quam periti sint totius deorum patriorum religionis — aut ritum quam severum illi poscant. — Sarcasmi sunt participia apud Creontem:

O. r. 607 ἐάν με ... λάβῃς βουλεύσαντα,
μή μ' ἁπλῇ κτάνῃς ψήφῳ, διπλῇ δὲ ... λαβών.

Λαβὼν, adversus editores, artissime pertinet ad λάβῃς v. 605 atque quasi accentu quodam exprimit: „Wohlgemerkt! wenn Du mich ergriffen hast!" Creon quo magis extra culpam sese versari scit, eo impudentius videtur significaturus: „aber Du wirst mich nie ertappen."

O. r. 641 ἢ γῆς ἀπῶσαι ἢ κτεῖναι λαβών.

Τὸ λαβὼν ad v. 607 spectare luce clarius est, sed quibus coloribus imbutum! Consulto dictum est ambigue, ut nescias velitne: Wenn er mich kriegt! Aber beim Ergreifen muß ich doch auch sein! — an: Wenn er mich erst der Schuld überführt hat! —

Aj. 338 ἀνὴρ ἔοικεν ἢ τοῖς πάλαι
νοσήμασι ξύνουσι λυπεῖσθαι παρών.

Recte Schneidewinus: „Nun er vor sich sieht das Leid." —

Aj. 324 πεσὼν naturam τοῦ θακεῖν pingit: „so hingesunken."

Aj. 266 et 273 ξυνὼν inservit argutiis Tecmessae exponendis. Loquendi subtilitates artesque dialecticae, ut omnino, ita hoc loco Tecmessae propria sunt, cujus de moribus et ingenio supra commemoravi.

Phil. 353 ἰὼν omisso sententia fere nulla exstat. Domi enim Trojam capere nequit. Tum vero tot verbis interjectis iterum τὸ ἰέναι erat referendum ex verbo ναυστολεῖν v. 349.

Omnino si participia ista orationi solummodo explendae inserviant, qui factum est, ut ὢν tam saepe omissum sit?*)

Nulla ex alia causa nisi quod omni colore destitutum est ac nihil pollet in parvis affectuum discriminibus.

Omittitur ὢν Ant. 281. O. r. 1421, 576, O. C. 783. Ant. 471, quin cum adverbiis conjunctum O. C. 83. 1451.**)

---

*) Nonnunquam sane nullo pacto intelligi potest quo sensu interpretes emendare conentur. O. C. 1210, ubi Schneid. jure σὲ δὲ σῶν ἴσθ' ex Laur. A recepit, voluit Dindorfius σὺ δ' ὢν σῶς ἴσθ'. Quis est qui illud participium hoc loco toleret, ubi regii verbi gravitas astrictissimam formam sibi poscit!

**) Locum libri corruptum ita habent:

μάτην γὰρ οὐδὲν ἀξίωμα δαιμόνων ἔχω φράσαι.
ὁρᾷ, ὁρᾷ ταῦτ' ἀεὶ χρόνος, ἐπεὶ μὲν ἕτερα,
τὰ δὲ παρ' ἦμαρ αὖθις αὔξων ἄνω.

Schneidew. ὄπισθεν ἕτερα .... αὐτίκ' αὔξ. ἄνω.
Nauckius στρέφων μὲν ἕτερα e schol., reluctante tamen metro, versus enim cretici sunt, vel ut Rossbachius nos docet, jambi thesibus syncopatis, versui praec. pares. Librorum vestigia sequens conjicio

ὁρᾷ, ὁρᾷ ταῦτ' ἀεὶ χρόνος, ὑπέρτερα τὰ μέν,
τὰ δὲ παρ' ἦμαρ αὖθις αὔξων ἄνω.

Heute ist Das oben auf — um 1 Tag, so erhebt die Zeit Jenes wieder. Quae autem chorus praesagit, statim eveniunt: illa nova mala (Oedipi in filios exsecrationes) mox cum leto pulcherrimo mutantur.

§. 63.

De anaphora.

Anaphora omnino efficit ut gravior fiat oratio atque urgentior, plerumque igitur est precum vehementium aut dignitatis cujusdam oratoriae. Plurima exemplorum sunt in Oed. Col.; poeta enim, qui in Ajace, Philoctete, Antigona summas pathologicae artis subtilitates explicuit, oratoriae fastigium ascendit in eo opere, quod senex sanguine cum tranquilliore cecinit. Precantis anaphora est.

O. C. 237—251, locus subtilitatibus oratoriis abundans. Anaphorae sunt v. 237 *ἀλλ' ἐπεὶ . . . οὐκ ἀνέτλατ', ἀλλ' ἐμέ . . .* v. 244 *ἃ πατρὸς ὑπὲρ ἄντομαι, ἄντομαι οὐκ. . . .* Nota etiam v. 251 *τὸ ἢ* quater repetitum. Prae omnibus personae Sophocleae precantes illud *μή με* vi urgentissima solent repetere.

O. C. 1407 *μή τοί με πρὸς θεῶν . . . ἐὰν . . . . μή μ' ἀτιμάσητέ γε.*

O. C. 1278 *ὡς μή μ' ἄτιμον . . . οὕτως ἀφῇ με.*

Item Aj. 192. O. r. 1165, El. 1208.

Cum quadam gravitate alicujus secum meditantis est:

O. r. 133 *ἐπαξίως γὰρ Φοῖβος, ἀξίως δὲ σύ . . .*

Item consilii firmi

O. C. 932 *εἶπον μὲν οὖν καὶ πρόσθεν, ἐννέπω δὲ νῦν.*

Vaticinii solennis

O. C. 610 *φθίνει μὲν ἰσχὺς γῆς φθίνει δὲ σώματος.*

O. C. 521 *ἤνεγκον κακότατ', ὦ ξένοι, ἤνεγκ' ἀέκων* — Cogitatio tremere videtur ut mens loquentis! An illo *ἤνεγκον* iterando id pressurus est Oedipus, quod jam v. 267 dicit *τά γ' ἔργα μου πεπονθότ' ἐστὶ μᾶλλον ἢ δεδρακότα?* In laetitia abundantissima saepius Philoctetes anaphoram exhibet.

v. 663 *ὃς ἐμοὶ . . . δέδωκας, ὃς χθόν' Οἰτ. ἰδεῖν, ὃς πατέρα πρέσβυν, ὃς φίλους, ὃς τῶν ἐμῶν κ. τ. λ.*

v. 236 *τίς* aliisque locis.

Acerbitas quaedam Electrae inest in El. 267. *ποίας ἡμέρας δοκεῖς μ' ἄγειν, ὅταν . . . ἴδω πατρῴοις, εἰςίδω δ' ἐσθήματα . . . ἴδω δὲ . . .* Denique particula *δὲ* anaphorae adjungitur, ut potestatem vocis repetitae languescentem corroboret.

Exemplo postremo addo Ant. 898
φίλη μὲν ἥξειν πατρὶ, προςφιλὴς δὲ σοὶ, μῆτερ, φίλη δὲ σοί...
Praecipue autem in execrationibus
O. C. 1391 καλῶ τὸ Ταρτάρου ... καλῶ δὲ ... καλῶ δὲ ...
Aj. 835 καλῶ δ' ἀρωγοὺς praecedente καλῶ δ' ἅμα ... ubi cfr. Hermanni notam de ἀεὶ δέ.

§. 64.

De figura etymologica et amplificata et contracta.

Fig. etym. eo amplificatur, ut praeter accusativum, qui notionem verbi repetit, alius acc. accedat pendens a fig. etym., quasi esset una verbalis notio. Summi est cothurni ac nonnisi in locis elatissimis chori diverbiique reperitur.

El. 123 τίνα τάκεις ὧδ' ἀκόρεστον οἰμωγὰν τὸν Ἀγαμέμνονα; (pro: τί οἰμώζεις ὧδ' ἀκορέστως τὸν Ἀγ.).
Trach. 50 κατεῖδόν σ' ἤδη πανδάκρυτ' ὀδύρματα τὴν ἔξοδον γοωμένην.
Trach. 339 τοῦ με τήνδ' ἐφίστασαι βάσιν;
„Du trittst mich an so dreisten Schritts, was solls?"
Regina valde admirata, quum nuntius, familiarius quam deceat, se quidquam secretum ei soli nuntiaturum esse indicet, hoc imperiosius atque elatius respondet.
O. C. 1120 τέκν' εἰ φανέντα μηκύνω λόγον „si longius colloquor cum libris."
O. C. 223 δέος ἴσχετε μηδέν.
El. 556 μ' ὧδε λόγους ἐξῆρχες
„Sprächst öfter Du so milden Worts mich an."
Huc pertinet Aj. 193, de quo loco v. supra § 47
O. C. 1204 βαρεῖαν ἡδονὴν νικᾶτέ με.
El. 1034 τοσοῦτον ἔχθος ἐχθαίρω σ' εγώ.
Trach. 627 προςδέγματ' αὐτὴν ὡς ἐδεξάμην.
Aj. 1107 τὰ σέμν' ἔπη κόλαζ' ἐκείνους.
Phil. 59 ἔχθος ἐχθήρας μέγα Ἀχαίους.
El. 709 αὐτοὺς κλήρους ἔπηλαν, judices ad sortes revocaverunt illos. Pro αὐτοὺς ἐκλήρωσαν.

Apud Aeschylum huic figurae frequentius occurrimus, quum grandiloquentiae ejus consentanea ac nativa sit.

Euripides ita effuse utitur, ut etiam tenuiores orationis locos ea adornet. Frequentissime e verbis exsultandi et lamentandi formatur.

---

§. 65.

Figura etymologica contrahitur, si substantivi notio verbalis pronomine quodam suppletur.

O. r. 475 *φάμα ἔλαμψε τὸν ἄδηλον ἄνδρα πάντ' ἰχνεύειν.*

Perperam Schneidewinus interpretatur: „nuntiatum est, ut omnes ignotum illum investigent." Immo τὸν ἄδηλον ἄνδρα est subjectum, *πάντα ἰχνεύειν* dictum pro *πᾶσαν ἰχνείαν ἰχνεύειν*, „nuntiatum est virum illum ignotum quoquoversus vagari.". Quas vagationes versus sequentes planius describunt.

O. r. 259 *τάδ' ὡςπερεὶ τοὐμοῦ πατρὸς ὑπερμάχομαι* (pro *ταύτην τὴν μάχην μάχεσθαι ὑπέρ τινος*).

Similiter Aj. 1346 *σὺ ταῦτα τοῦδ' ὑπερμαχεῖς ἐμοί;* (pro *ταύτην τὴν μάχην ὑπὲρ τοῦδε μάχει* contra me?).

O. r. 340 *ἃ νῦν ἀτιμάζεις πόλιν* (pro *ἣν ἀτιμίαν ἀτ. π.*).

El. 613 *ἥτις τοιαῦτα τὴν τεκοῦσαν ὕβρισεν.*

Ant. 546 *τί ταῦτ' ἀνιᾷς με;*

O. r. 1202 *τὰ μέγιστ' ἐτιμάθης* (Schol. *τὰς μεγίστας τιμὰς τιμηθῆναι*).

O. r. 1327 *πῶς ἔτλης τοιαῦτα σὰς ὄψεις μαρᾶναι;*

Usitata est haec loquendi ratio etiam apud prosaicos, Platonem, Xenoph., alios. Novit eam jam Homerus. Apud Sophoclem saepissime in Oed. rege, quae res multum contulisse videtur, ut haec fabula illius dictionis pressae et austerae accusaretur.

---

§. 66.

Σχῆμα καθ' ὅλον καὶ μέρος.

In plerisque figurarum sequentium nihil amplius potero quam ut sola exempla enumerem, quum minus sit iis

coloris dramatici quam quae τῷ πάθει singulari modo inservire possint. Ap. Soph. haec sunt:

O. C. 113 μ' ἐξ ὁδοῦ πόδα κρύψον.

Critici quidam recentiores, ubi poeta pressius loquitur, nimis prompti sunt ad emendandum. Hic nihil mutandum est. Quae fortasse nostris auribus videantur inepta, Graecis poetice, aut summum audacter dicta fuerunt.

O. r. 718 καί νιν ἄρθρα ἐνζεύξας.

Aj. 310 κόμην ὄνυξι συλλαβὼν χερί.

Phil. 747 πρόχειρον εἴ τί σοι πάρα ξίφος χεροῖν.

Ant. 971 ἕλκος ἀρακτὸν Φινείδαις κύκλοις ὀμμάτων.

Aj. 1147 σὲ καὶ τὸ σὸν στόμα λάβρον χειμών τις τάχ' ἂν κατασβέσειε τὴν πολλὴν βοήν.

Trach. 778 αὐτοῦ πνευμόνων ἀνθήψατο.

§. 67.

Huic rei cognata est quaedam ratio epexegetica, vocem quandam sequentem per aliam notionem praenuntiandi

O. C. 1318 εὔχεται κατασκαφῇ ἄστυ δῃώσειν πυρί.

Quamquam hoc loco figuram quam dicunt ἐκ παραλλήλου statuere malim, quum dictum sit pro κατασκαφῇ πυρός. Ita ap. Eur. Her. fur. 11 ἣν ὑμεναίοισι λωτῷ συνηλάλαξαν. Troj. 1320 κόνις ἴσα καπνῷ πτέρυγι. Alibi Γίγασι πλευροῖς, νεανίαν θώρακα. Noli enim Γίγας. νεανίας h. l. adjectiva habere, sicut ap. Pers. habes „Heroas sensus" aut Trach. 53 γνώμαις δούλαις. πλευροῖς, θώρακα, πτέρυγι, λωτῷ nonnisi propiores definitiones sunt ad Γίγ., νεαν. etc.

O. r. 819 τάδ' οὔτις ἦν … τάσδ' ἀρὰς ὁ προστιθείς.

Aj. 1063 ὧν οὕνεκ' αὐτὸν οὔτις ἐστὶ σθένων τοσοῦτον ὥστε σῶμα τυμβεῦσαι.

O. C. 231 πατέρα αὐδὰν ἀΐοντες.

---

§. 68.

De geminatione notionum ac verborum quorundam.

Certa ejusmodi exempla ex eadem necessitate dramatica esse coorta opinor, e qua supra vidimus accusativos cum inf., subjecto non mutato. Duplicari igitur solent particulae maxime in exsecrationibus, votis, locis omnino,

ubi loquentes verborum fere quodque accentu premunt ad sententiam gravius inculcandam.

Pronominis exempla sunt haec:

O. C. 998 *οἷς οὐδὲ τὴν πατρὸς ψυχὴν ἂν οἶμαι ἀντειπεῖν ἐμοί.*

O. r. 246 *τὸν δεδρακότα κακὸν κακῶς νιν ἐκτρῖψαι βίον* der Thäter aber, er soll elend ...

O. r. 270 *καὶ ταῦτα τοῖς μὴ δρῶσιν εὔχομαι θεοῖς μήτ' ἄροτον αὐτοῖς ἀνιέναι.*

Den Säumigen aber — ihnen mögen die Götter, so bet' ich, ...

Trach. 287 *αὐτὸν δ' ἐκεῖνον, εὖτ' ἂν......, φρόνει νιν ὡς ἥξοντα.*

Phil. 315 *οἷς θεοὶ δοῖεν αὐτοῖς ἀντίποιν' ἐμοῦ παθεῖν ..*

Und an ihnen mögen die Götter, ja an ihnen ...

Nam e verbo *οἷς* disertius repetitur *τὸ αὐτοῖς*, ut oppositionem efficiat illi *ἐμοῦ*. Praepositionis exempla haec sunt:

Trach. 1160 *πρὸς τῶν πνεόντων μηδενὸς θανεῖν ὕπο.* „zu sterben durch Niemand aus der Lebendigen Zahl."

O. C. 1269 *πρός σοι παρασταθήτω.*

O. C. 419 *πάρος τοῦ 'μοῦ πόθου προὔθεντο τὴν τυραννίδα.*

Ita multi loci ap. Soph. sunt, ubi alia praepositio in verbo composito, alia juxta posita est.

Repetuntur porro *γὲ* et *ἄν*. Utraque particula vocabulorum cuique adjungi potest, ita ut *γὲ* notionem ejus urgeat atque condenset, *ἂν* eam limitet ac certis conditionibus subjiciat. Vid. Herm. ad Viger. p. 815.

O. C. 924. *οὔκουν ἔγωγε ... ἄνευ γε τοῦ κρ.*

Ich wenigstens nicht, ohne den Fürsten nicht.

O. C. 1407. *μή με σφώ γε μή μ' ἀτιμάσητέ γε* „Verstoßet Ihr nur, o verstoßt mich nicht!"

O. r. 139. *τάχ' ἂν κἄμ' ἂν τίμωρεῖν θέλοι*

Er könnte ja wohl auch mir etwa nachstellen wollen.

O. r. 339. *τίς γὰρ τοιαῦτ' ἂν οὐκ ἂν ὀργίζοις' ἔπη κλύων.*

Duplicationibus ejusmodi quodam modo tam cognatus videtur *Parallelismus atticus*, ut nonnulla exempla me incertum reddant, utram ad quaestionem pertineant.

§. 69.

De parallelismo attico vel antithetico.

Ut nomen tibi indicat, hoc genus inprimis Atticis erat dilectum. Totum vitae Jonicae otium ex eo refulgere videtur. Doriis nimirum non tantum temporis erat ut verbum ullum supervacuum adhibere iis licuisset, sed et vivendi et loquendi formas ad artissimam semper necessitatem redigere consuerunt. Rarissime igitur inter poetas figuram nostram reperies apud Aeschylum, quippe cujus natura gravis atque austera a tali jucunda loquendi latitudine abhorreret. Eo magis in amoribus est Sophocli, et tantopere quidem ut exempla jam non valeam ordinare ex lege τῆς ἠθοποιίας. Satis erit majorem eorum numerum deferre.

O. C. 908. τούτοισι κοὐκ ἄλλοισι.
O. r. 63. μόνον καθ' αὑτὸν κοὐδὲν ἄλλον.
O. C. 397. βαιοῦ κοὐχὶ μυρίου χρόνου.
O. r. 58. γνωτὰ κοὐκ ἄγνωτα. — Trach. 961. ἄγχου κοὐ μακράν. — Phil. 31. κενὴν οἴκησιν ἀνθρώπων δίχα. — Aj. 464 γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ. — Aj. 289. ἄκλητος οὔθ' ὑπ' ἀγγέλων κληθείς*).
Trach. 473. θνητὴν φρονοῦσαν θνητὰ κοὐκ ἀγνώμονα (neutrius generis est!) πᾶν σοι φράσω τἀληθὲς οὐδὲ κρύψομαι. O. r. 1018. οὐ μᾶλλον οὐδὲν κοῦδε τἀνδρός, ἀλλ' ἴσον.

§. 70.

El. 1283. ἔσχον ὀργὰν ἄναυδον οὐδὲ σὺν βοᾷ κλύουσα**).

---

*) Plura hujusmodi ap. Lob. Aj. 289.

**) Latissime patet hujus loci mutilatio. A v. 1281 fortasse ita legendum:

ὦ φίλαι, ἐκλύετ' ἄρ' ἂν ἐγὼ οὐδ' ἂν ἤλπισ' αὐδάν;
πῶς δὲ σῖγ' ἂν ἔσχον ὀργὰν
οὐδὲ σὺν βοᾷ κλύουσα;
νῦν δ' ἔχω σε· προυφάνης δὲ
φιλτ. κ. τ. λ.

O. r. 1463. *χωρὶς ἐστάθη τράπεζ' ἄνευ τοῦδ' ἀνδρός.*
Ant. 400. *ἐγὼ δ' ἐλεύθερος δίκαιός εἰμι τῶν δ' ἀπηλλάχθαι κακῶν.* Quibus verbis
Creon. v. 444. *σὺ κομίζοις ἂ σεαυτὸ ᾗ θέλεις ἔξω βαρείας αἰτίας ἐλεύθερον.*

Nuntii enim gaudio salutis verbosi facti orationem ludificat Creon eo, ut simili utatur verborum conformatione. Hujusmodi sine dubio multae sunt subtilitates, de quibus editores adhuc usque tacuerunt.

O. r. 56. *ναῦς ἔρημος ἀνδρῶν μὴ ξυνεικούντων ἔσω.*
Aj. 750. *οἶος Ἀτρειδῶν δίχα* (Cfr. Hom. *οἶος ἄτερ λαῶν*).

Jure Benlovius huc affert illam interrogandi formam, ubi pars prior per *οὐ*, posterior per *μὴ* inducitur, quippe quae prioris nihil nisi amplificatio sit.

Talibus autem locis *τὸ οὐ* toti pronuntiationi imperat, *μὴ* alteri tantum membro.

Nam veri simillimum est illud *ἄναυδον*, quod libri habent, ex errore librariorum ortum esse oculis ad *αὐδάν* aberrantium. Adde quod verba *οὐδὲ σὺν βοᾷ* postulant aliquid, quod epexegetice et modo parallelismi attici iis praecedat. Qua de causa illud *σῖγα* inserui. Tertio autem cumulatio syllabarum *αὐδάν, ὀργάν, ἄναυδον* in toto librorum loco molestissima est. Quod denique ad metrum attinet, epodi quum sine responsione sint, eamque potius in se ipsis ferant, proprio semper rhythmorum genere utuntur et usquam locorum habere solent ordinem quendam continuum trium vel quattuor versuum generis inter se paris pariumque pedum, saepe e stropharum rhythmo primario consistentium. Ita

El. 333—35. — 238—41 quater repetitum
(nam etiam stropharum rhythmus primarius est – –́ – – – –́ –).

Aj. 198—200 ⏑ –́ ⏑⏑ –́ –́ – ter repetitum

Trach. 525—28 ⏑ –́ ⏑ –́ –́ ⏑ – ⏑ – ⏑ quater repetitum
– ⏑

Trach. 222—24 ⏑ – ⏑ – ⏑ – – (ex Dindorfii emendatione versus 222) ter repetitum.

Saepius id reperies in anomoeostrophis. Hac ex observatione restitui rhythmum illum ter repetitum

– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑

Aj. 75. οὐ σῖγ' ἀνέξει μηδὲ δειλίαν ἀρεῖ;
Du wirst doch, hoff' ich, schweigen, und nicht feige sein?
Trach. 1183 οὐ θᾶσσον οἴσεις μηδ' ἀπιστήσεις ἐμοί;
O. r. 637. οὐκ εἶ σύ τ' οἴκους . . . καὶ μὴ τὸ μηδὲν εἰς μέγ' οἴσετε;

Ad istum parallelismum quadamtenus pertinent etiam haec:
Aj. 1317. εἰ μὴ ξυνάπτων ἀλλὰ συλλύσων πάρει.
Ant. 519. οὔτοι ξυνέχθειν ἀλλὰ συμφιλεῖν ἔφυν.

---

§. 71.

Huc afferre liceat tragicorum studium quoddam substantivi cum adjectivo ejusdem notionis conjungendi. Monendum hic est notionem in adjectivo latentem esse ampliorem amplectique substantivi angustiorem.

Reperiuntur apud Sophoclem:
ἄχαλκος ἀσπίδων, ἐγχέων; — ἄσκευος ἀσπίδων — ἄλυπος ἄτης — ἀνήνεμος χειμώνων — παίδων ἄπαις — ἀψόρητος κωκυμάτων. —

Cfr. Homeri ἄπαστος ἐδητύος ἠδὲ ποτῆτος.

Etiam apud Euripidem frequentissima sunt, ut ἄπεπλος φαρέων. Phoen. 335 vid. editores. Oriuntur talia ex illo Graecorum amore, quo res quam possunt clarissime sub oculos ponere student. Qua ex consuetudine res sensibus percipiendi plurimas pleonasmi formas interpretari poteris. Quin res multo magis miras inde prodire videbis sub quaestione τῆς προςωποποιίας.

Reliquae pleonasmi quaestiones ab editoribus satis sunt exemplis illustratae, quod ultra ego quoque nihil valeam.

§. 72.

De asyndeto.

Satis frequentia sunt apud Aeschylum asyndeta, sed primus usum eorum ad certas leges dramaticas reduxit Sophocles. Asyndeta enim usurpat et ad imperativi gradationem et ad descriptiones vivacius fingendas; tum etiam indicaturus plura quaedam, si vellet, sese posse enumerare, denique solennitatem quandam nobis incussurus.

Imperantis sunt haec:
Aj. 811 χωρῶμεν, ἐγκονῶμεν, οὐχ ἕδρας ἀκμή.
Aj. 115 χρῶ χειρί, φείδου μηδὲν ὧνπερ ἐννοεῖς.
Aj. 844 γεύεσθε, μὴ φείδεσθε πανδήμου στρατοῦ.
Ant. 768 δράτω, φρονείτω μεῖζον ἤ .....
Trach. 1255 ἄγ' ἐγκονεῖτ', αἴρεσθε·
O. C. 1541 στείχωμεν ἤδη, μηδ' ἔτ' ἐντρεπώμεθα.
Ant. 1037 κερδαίνετ', ἐμπολᾶτε τὸν πρὸς Σάρδεων..
„Er handelt, schachert Sarderschmuck euch ein!"
Observes contemtum quocum loquitur.
El. 632 ἐῶ, κελεύω, θῦε.
Ich wehr' es nicht — thu's! opfere!
Describentis sunt
El. 719 ἤφριζον, εἰςέβαλλον ἱππικαὶ πνοαί.
Die Rosse schäumten, — warfen Schaum auf Speich' und Bug.
Aj. 59 ὤτρυνον, εἰςέβαλλον εἰς ἕρκη κακά*).
Ich erregt' ihn — stürzt' ihn in des Wahnes Haft!
Magnam vim dramaticam quaedam habent abrupte dicta ut Phil. 951 οὐδέν εἰμ' ὁ δύςμορος· Phil. 1217 ἔτ' οὐδέν εἰμι· alia. — Item doloris exclamationes Phil. 743—750, qui locus totus asyndetis abundat. Arcane et graviter aures obrepit illud Teiresiae:
Ant. 1078 φανεῖ γάρ, οὐ μακροῦ χρόνου τριβή, ἀνδρῶν, γυναικῶν σοῖς δόμοις κωκύματα.
Denn hören wird man — nicht viel Sonnen gehen in's Land —
Von Männern, Weibern Klageruf in deinem Haus.
Ejusdem potestatis
O. C. 130 ἀδέρκτως, ἀφώνως, ἀλόγως (παραμειβόμεσθα). —
Gravitatem ac pondus illius ritus pingit asyndeton
O. C. 481 ὕδατος, μελίσσης· μηδὲ προςφέρειν μέθυ.
Quellwasser, Honig. Ja nicht Wein nehmen!

*) Quia scholiastes alicubi repperit interpretationem ἐς Ἐρινὺν κακήν, statim, auctore Hermanno, asyndeton molestum esse locumque mutari oportuit. (Herm. Ἐρινύων ὤτρυνον εἰς ἕ. κ.) Peropportunum Wundero, ut etiam in El. 919 vitium quoddam odoraretur. Sed per omnes Musas, est, cur talibus „vitiis" gaudeamus! Ceterum libri consentiunt.

Ex enumerationibus est

O. C. *δάφνης, ἐλαίας, ἀμπέλου·*

ubi asyndeton fere exprimit illud „*καὶ τὰ λοιπά.*“ Participiis tragicorum asyndetis suum signum prae omnibus impressit Homerus. (Cfr. Naegelsbach Excurs. z. Il. XV) Haud enim raro videntur esse asyndeta, nec vero sunt, siquidem alterum participium ab altero propius definitur eique non est adjunctum sed subjectum.

O. C. 175 *σοὶ πιστεύσας μεταναστάς.*

Im Vertrauen zu Dir mich erhebend.

El. 652 *φίλοις ξυνοῦσαν εὐημεροῦσαν* ....

Laß in der Freunde Gemeinschaft mich immer gute Tage sehen!

Ant. 1235 *αὑτῷ χολωθεὶς ὥσπερ εἶχ' ἐπενταθείς.*

Hochaufgereckt im Zorne wider sich.

Trach. 1069 *λωβητὸν εἶδος ἐν δίκῃ κακούμενον.*

Den schnöd, wie sie's verdient, entstellten Leib.

---

§. 73.

Aposiopeses et ellipses sunt:

Ant. 441 *σὲ δή, σὲ τὴν νεύουσαν κάρα* (sc. *λέγω.*)

Ant. 577 *μὴ τριβὰς ἔτι·*

El. 369 *μηδὲν πρὸς ὀργήν·*

O. C. 1441 *μή σύ γ'·* (sc. *ταῦτ' εἴπῃς*).

(Pari modo *μή σύ γ'.* in Hecub. 406, Phoen. 533, Med. 1027).

Phil. 1293 *ὡς θεοὶ ξυνίστορες·*

Usitatissimus est in precibus, adjurationibus usus illorum *μή μοι, μή τι, μή τοι, μὰ τόν, μὰ τήν*, item in forma obsecrandi *μὴ πρός σε θεῶν*, similia, quorum exempla nemo jam postulabit.

De discrimine inter ellipsin et aposiopesin Hermannus (ad Vig. p. 870) ita loquitur: Differt, inquit, aposiopesis ab ellipsi eo, quod in aposiopesi aliquid ob rhetoricam rationem, in ellipsi ob rationem grammaticam omittitur. Est autem rhetorica ratio ea, qua oratio, si leges grammaticas spectes, aperte abrupta et manca est, quod autem deest, majore cum vi intelligitur quam si esset additum. Grammatica vero ratio ea est, qua quid ad sententiae

integritatem sic deest, ut ex grammaticis legibus tamen oratio pro integra habeatur.

§. 74.

Zeugma et σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ.

Jam veros campos intramus, ubi pressus et obscurus habitat Sophocles; sed ex ea ipsa causa nobis multa erunt defendenda, quae editores in suspicionem vocaverunt.

A zeugmate ita differt τὸ ἀπὸ κοινοῦ, ut illud verbi tantum usum communem significet, hoc autem cujusvis alius notionis.

Fere ubique zeugma ita fit apud tragicos, ut notio aliqua verbo posito contraria sit supplenda.

O. r. e verbis ἀπαυδῶ εἰςδέχεσθαι (v. 236) ad ὠθεῖν v. 241 intelligas αὐδῶ.

O. r. 819 ὃν μὴ ἔξεστι δέχεσθαι μηδὲ προσφωνεῖν τινα, ὠθεῖν δ' ἀπ' οἴκων (sc. χρή).

El. 72 μή μ' ἄτιμον τῆςδε ἀποστείλητε γῆς; ἀλλ' ἀρχέπλουτον. (sc. δέξασθε).

Aj. 1035 Ἐρινὺς ἐχάλκευσε ξίφος κἀκεῖνον Ἅιδης. sc. εἰργάσατο. Cfr. Phil. 706 cum not. Schneidew.

O. C. 405 σὲ προςθέσθαι πέλας χώρας θέλουσι μηδ' ἵν' ἂν σαυτοῦ κρατῇς (ἐᾶσαι).

O. C. 1404 οἷον οὐδὲ φωνῆσαι ἔξεσθ' ἑταίρους οὐδ' . . ., ἀλλ' ἄναυδον τῇδε συγκῦρσαι τύχῃ (sc. χρή).

El. 435 ἀλλ' ἢ πνοαῖσιν ἢ βαθυσκαφεῖ κόνει κρύψον νιν —

Nihil mutandum, quamvis insolenter dictum sit. Poeta πνοαῖσι scribens verbum quidem aliquod tradendi in animo agitaverat, sed ἡ κόνις cogitationem ejus in aliam viam avocavit, ut notionem κόνει tantummodo accommodatam eligeret*).

---

*) „πνοαῖσι κρύπτειν ist undenkbar. Darum sollte πν. ἢ κ. κρ. gesagt sein für πν. ἢ κ. δός oder πν. μέθες ἢ κ. κρ. Statt δός kann nur ein verwandter Begriff substituirt werden, und aus κρ. läßt sich nicht μέθες entnehmen, zumal hier die Dative syntactisch verschieden sind. Auch im Sinn ist πν. anstößig. Die Gaben sollen für Klyt. aufbewahrt werden: wie ist dies möglich, wenn die

(Zeugmata Benlovii p. 33 omnia false allata sunt.)

De O. r. 271 consulas Schneidew.

Ἀπὸ κοινοῦ dicta sunt haec:

Trach. 928 τῷ παιδὶ φράζω τῆς τεχνωμένης τάδε (τάδε φράζω? an τῆς τάδε τεχνωμένης?).

Omnino cfr., quae supra dixi § 56, et exempla Horatiana (not.).

Aj. 435 τὰ πρῶτα καλλιστεῖ' ἀριστεύσας στρατοῦ — Et τὰ πρ. στρατοῦ dicere licet et ἀριστεύειν στρατοῦ. Tum τὰ πρ. καλλ. quasi adverbium esset τῷ ἀριστεύειν.

Fortasse huc spectat Trach. 815 οὖρος ὀφθαλμῶν ἐμῶν αὐτῇ γένοιτ' ἄπωθεν ἑρπούσῃ καλός. — Nam οὖρος referre ad ὀφθ. excusat verborum collocatio.

O. C. 115 ἐν τῷ μαθεῖν (sc. τὰ ποιούμενα) ἔνεστιν ηὐλάβεια τῶν ποιουμένων.

Phil. 691 ἵν' αὐτὸς ἦν πρόσουρος sc. ἑαυτῷ.

Trach. 305 μηδ', εἴ τι δράσεις, τῆσδέ γε ζώσης ἔτι sc. δράσῃς.

El. 1434 νῦν, τὰ πρὶν εὖ θέμενοι, τάδ' ὡς πάλιν sc. εὖ θῆσθε.

El. 1028 ἀνέξομαι κλύουσα χὤταν εὖ λέγῃς (pro νῦν κλύουσά τε καὶ κλύσουσα χ.)

O. C. 520 πείθου· κἀγὼ γάρ. (sc. πείθομαί σοι.)

O. C. 1102 τῷ τεκόντι πᾶν φίλον. (sc. τεχθέν.)

Ceterum hoc loco, quod nemo adhuc significavit, animadvertas poetam his auditores summonere Polynicem venturum itemque patris amorem petiturum esse, quod quidem Antigonam insciam dicentem facit.

Winde sie davon tragen?" Ita Nauckius. Ex ea via, e qua illud κρύψον natum esse supra commemoravi, in syntactica differentia jam nihil alieni inest. Media enim notio verbi κρύπτειν, cujus et πνοαὶ et κόνις habent societatem, est *facere ut aliquid e conspectu abeat, evanescat.* Quod h. l. fieri non potest nisi *profundendo, projiciendo.* Etiam de sententia N. fallitur. Reserventur haec, inquit Electra, Clytemnestrae. Quomodo id fieri potest, inquam ego, si undae illa secum abripiunt? An censet N., Chrysothemin antea novo alveo flumen derivare debuisse? Electram cum sarcasmo loqui quis non videt? Ceterum libri consentiunt.

§. 75.

Huc pertinet quoddam Sophoclis studium vocabula ea ratione adhibendi, ut in eadem pronuntiatione dupliciter dicta sint. Volunt quidem interpretes maximos horum locorum esse corruptos, sed nondum persuadere mihi potuerunt, quid hujus rei Sophocleo ingenio repugnet. Ceterum concordant libri, quae res scilicet interpretibus non obstat quin discordent.

O. r. 255 *οὐδ' εἰ γὰρ ἦν τὸ πρᾶγμα μὴ θεήλατον,*
ἀκάθαρτον εἰκὸς ἦν ἐᾶν.

ubi recte Wunderus: *τὸ πρᾶγμα* cum *θεήλατον* junctum *investigationem caedis*, sed relatum ad *ἀκάθαρτον caedem ipsam* significat.

O. r. 329 *ἐγὼ δ' οὐ μή ποτε*
τἄμ', ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σ', ἐκφήνω κακά.

(Nauckius ad Schneidew.: *ἄνωγας εἴπω, μήτ . . .*) „Ego vero non ita loquar, ut mea enarrans (mala vaticinia) aperiam tua (mala facinora). Quid hac oratione ambigua accommodatius vati? Non est autem, cur constructionem τοῦ *ὡς ἂν* cum conj. *εἴπω* impugnent. Octies est apud solum Aeschylum, neque rara apud Sophoclem et Euripidem. Vid. Matth. gr. gr. § 520, 2.

O. C. 1118 *σοί τε τοὖργον τοῦτ' ἐμοί τ' ἔσται βραχύ.*
Antigona valde commota, quasi tempus non habeat ad notiones accuratius segregandas: Tibi, inquit (quia filiabus receptis gaudes) et mihi (quia vindicem meum audire licet) haec descriptio brevis erit. —

Sed ne *γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας*, relictis iis, quae ab aliis jam fusius tractata habemus, ad ea me converto quae interpretem minus experta sunt.

§. 76.

De aliis pressius attractis et contractis.

Nonnullarum pronunciationum sententia tantopere in se ipsam condensata est, ut cogitationes duae in unam concrevisse videantur; quas ad plane intelligendas utramque segregari suique juris fieri necesse est.

Maxime notandi loci sunt hi:

Aj. 674 *δεινῶν τ' ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισε στένοντα πόντον.*

Tempestas quietem gignit secundum legem naturae hinc aoristus). — Illud putidissimum Musgravii λείων pro δεινῶν jamdudum merito carpsit obliviones. Exemplis a Lob. l. l. allatis praeter Hor. I, 3, 16 (arbiter Hadriae tollere seu *ponere* vult freta) addo Virg. A. III, 69 „placataque venti dant maria." Contra ne hodie quidem pacem suam habet illud οἰστρηθεὶς Trach. 654, ubi Hermannus usque ad suum illud καστρωθεὶς deerravit.

νῦν δ' Ἄρης οἰστρηθεὶς
ἐξέλυσ' ἐπίπονον ἀμέραν —

plane ejusdem conformationis est ac locus supra laudatus; nihilque sanius his verbis. Bellum paci cedit, quum unus idemque rerum status non maneat in aeternum. Pacis is fit maxime conscius, qui Martem expertus est. Notiones ex iis tantum, quae opposita sunt, evadunt. Loci sententia planius expressa ita prodibit: Mars furibundus recessu suo mala secum „abstulit" *). Ceterum equidem nunquam de Marte *prostrato* (καστρωθεὶς) quidquam legi, immo attributum numinis cujusvis manet stans et immutatum, etiamsi numinis persona conditiones suas casu oblatas mutet. Conditiones, inquam, et status, quibus affecta numina inter homines apparent, nihil mutant speciei eorum aeternae. Mars a Diomede vulneratus, quamvis ejulet, nihilosecius ejulans manet θοῦρος Ἄρης βροτολοιγός. Etiam in rebus valet haec lex. Naves etsi in litus subductae sunt, tamen θοαί vocantur, al. — Simillimum locum habes Aj. 706

ἔλυσεν ἄχος ἀπ' ὀμμάτων Ἄρης.

Ares quum adveniens oculis noctem offuderit, solus eam potest removere — discessu suo. Cfr. Hor. C. sec. 10 „alme sol, qui diem promis et celas" (occidendo). Qui locus quasi ponti sit nobis ad Trach. 95

Ὃν αἰόλα νὺξ ἐναριζομένα τίκτει κατευνάζει τε —
sc. γεννωμένη.

Quid tandem? Num ejusmodi dicta magis mira sunt quam alia insolenter excogitata velut oxymora, enallagae, similia?

---

*) Vitium, quod adhuc usque falso loco vestigaverunt, in antistropha inest, ubi pro συγκραθεὶς conjicio συμπλακεὶς, quod τῷ ἐξέλυσ' respondeat. Remanet corrigendum θηρός.

§. 77.

Sententiam condensatam hi quoque habent loci, attractionis formam attingentes:

Trach. 1238 ἀνὴρ ὅδ' ὡς ἔοικεν οὐ νεμεῖν ἐμοὶ φθίνοντι μοῖραν.

Ant. 740 ὅδ' ὡς ἔοικε τῇ γυναικὶ συμμαχεῖν.

Ita enim restituendum puto pro συμμαχεῖ. Ne id quidem interrogabo, numnam Graecorum poetarum, quomodo versus finiantur vocali sequente, nihil interfuerit (apparet enim Haemonis responsionem εἴπερ γυνὴ σύ· cum impetu quodam nec minima quidem pausa concessa succedere verbis Creontis). At primum miror, quod quidam editores illud νεμεῖν pro νεμεῖ ad hiatum vitandum factum esse usque opinantur. Quaeras, quaeso, e quovis vero poeta, num ad versum efficiendum unquam sic se abjecerit, ut linguae legibus vim talem afferret. Quasi vero Sophocles, si ulla linguae integritas re vera tuenda fuisset, versum alio modo componere nesciisset!

Accedit autem aliud gravius. Usitatius enim apud tragicos quidem pro ὡς ἔοικε reperies infinitivum, ut ὡς σάφ' εἰκάσαι O. C. 17, — δυσαίων σύ, ἐπεικάσαι O. C. 150 — εἰκάσαι μέν, ἡδύς O. r. 82 — δοκεῖν ἐμοί El. 410 cett. — Sed quum nostris in locis indignationis sarcasmique, quo imbuti sunt, quasi nervus insit in ὡς ἔοικε, ac verba συμμαχεῖν, νεμεῖν ratione multo efficaciori infinite posita sint: intelliges, quam facile ista vices mutare ac formam paene infinitivi quem vocant indignationis induere potuerint. Rarior quidem infinitivus indignationis est ille, cujus subjectum in primo casu est, ita ut aposiopesis quaedam existere videatur — attamen reperitur:

Phoen. 186 ὅς Θηβαίας Μυκήναισι δώσειν·

(Supple μέλλει vel λέγει) „Der uns da an Mykene verrathen! (Id quod Antigona Capaneum jactasse audiverat). Quid multa? Ὅδε ex ὡς, infinitivus ex ἔοικε emanavit. — Singularem attractionis usum ostendunt quae sequuntur exempla.

Verbis ab alio usurpatis potitur alius, ita ut ope articuli tanquam indeclinabilia tractentur.

Ant. 567 ἀλλ' ἥδε μὴ λέγ'· οὐ γάρ ἐστ' ἔτι.
„noli amplius dicere ἥδε."
Ant. 504 τούτοις τοῦτο πᾶσιν ἁνδάνει λέγοιτ' ἂν...
ab omnibus his diceretur „consentio"! nisi....
Majori cum ironia ita loquitur quam si sine colore ἁνδάνειν diceret.

§. 78.

Simili modo vocativus praedicati quod vocamus vices agit:
Aj. 695 Πὰν ἁλίπλαγκτε ... φάνηθι. ἁλίπλ. dictum est pro ὑπὲρ πελαγῶν μολών.
Phil. 760. Neopt.: ἰώ, ἰὼ δύστηνε σύ.
Phil.: δύστηνε δῆτα διὰ πόνων πάντων φανείς.
Ita enim versus illos dispertiendos puto. Sentias enim, quaeso, qua cum bili Phil. loquatur. (Verbis Neoptolemo, ut faciunt editores, tributis, inhabilissimo modo posita essent et δύστηνε φανείς et δῆτα.)
Neopt.: Du armer Mann!
Phil.: „Armer Mann" — freilich bin ich das!
Paene adverbii locum tenet λέγω Aj. 569 μητρί τ' Ἐριβοίᾳ λέγω. Exempla ap. Lob. l. l. Attractioni cognata est *prolepsis*, e Graecorum vivacitate nata, quae rebus efficiendis mente praecurrens jam cogitat de effectis. Innumerabiles sunt loci ap. Sophoclem, cujus in amore est prolepsis, plurimi tamen in fab. Oed. Col. — E multis habeas hos:
El. 242 γονέων ἐκτίμους ἴσχουσα πτέρυγας γόων, si inhiberem lamenta, ut parentum obliviscerentur.
O. C. 1112 ἐρείσατ', ὦ παῖ, πλευρὸν ἀμφιδέξιον (ὥςτε μοι ἀμφιδέξιον γενέσθαι τὸ πλευρὸν ὑμῶν Schol.)
O. C. 1089 εὔαγρον τελειῶσαι λόχον.
O. C. 1551 τὸν τελευταῖον βίον κρύψων.
O. C. 1200 ἀδέρκτων ὀμμάτων τητώμενος.
Item El. 207, Aj. 517, Ant. 881, Aj. 69, El. 18, Trach. 477, O. r. 274.

§. 79.

Notandae porro sunt exsecrationes hae:
Phil. 961 ὄλοιο, μήπω, πρὶν μάθοιμ' εἰ καὶ πάλιν γνώμην μετοίσεις· εἰ δὲ μή, θάνοις κακῶς.

O geh zum Henker — aber nicht eher als bis ich weiß ob Du bereut hast, wo nicht, so kannst Du gehn!

Inest his verbis aliquid illius sanissimi sarcasmi ac salis, quem saepius e Philocteta prorumpere supra vidimus. Caveas autem ne putes poetam hic soccum attingere. Habeamus eo cariores tales locos, quo rariores sunt apud veteres, quoque aegrius usquam alibi ad naturam humanam veritate tam inopinata pingendam descendunt.

Trach. 383 *ὄλοιντο — μή τι πάντες οἱ κακοί, τὰ δὲ λαθραῖ' ὃς ἀσκεῖ.....*

Chorus per *ὄλοιντο* et Licham et Herculem indicaturus, eodem autem momento Herculem dominum suum esse cogitans, a definitis exsecrandi significationibus declinat ac sermonem generalius format, quo Dejanira de utrolibet possit cogitare. (Ita etiam Eur. Med. 83 *ὄλοιτο — μὲν μή, δεσπότης γάρ ἐστ' ἐμός, ἀτὰρ....*).

§. 80.

Simili vi *μὲν οὐ* saepius verbo postponitur, ubi poetam quasi in mysteriis componendi deprehendere licet.

El. 905 *καὶ χερσὶ βαστάσασα δυςφημῶ — μὲν οὔ, χαρᾷ δὲ πίμπλημ' ὄμμα δακρύων.*

Nam paene pro certo habuerim, poetam, postquam *τὸ δυσφημῶ* scripsit, (nihil enim simplicius, quam ut Chrysothemis capillum fratris conspiciens laetitia exsultet!) subito secum considerasse quanto melius illam deceret *τὸ εὐφημεῖν*, eaque de causa sententiam per *μὲν οὐ* produxisse.

Ant. 223 *ἄναξ, ἐρῶ — μὲν οὐχ ὅπως τάχους ὑπὸ δύσπνους ἱκάνω.*

Μὲν οὐ positum post *ἐρῶ*, rusticitatem nuntii ridiculam perbene pingit. Verbis enim *ἄναξ, ἐρῶ* ad loquendum aggressus, quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?*) Parturiunt montes, prodit illud „*μὲν οὐχ ὅπως*“ *κ. τ. λ.*

O. C. 1370 *τοιγάρ σ' ὁ δαίμων εἰςορᾷ μὲν οὔ τί πω ὡς αὐτίκ', εἴπερ* ... (sc. *ὡς αὐτίκ' ἐςόψεται*).

Ita enim *οὔ τί πω* postpositum verbis *ὡς αὐτίκα* acrius est oppositum. Ceterum haec illius *μὲν οὐ* positio omnino

*) Hor. ep. ad P. 138.

nihil aliud sibi vult nisi quod nos ipsi in patrio sermone ita:

Aj. 545 ταρβήσει γὰρ οὐ sich fürchten — nein, das wird er nicht!

Ant. 96 πείσομαι γὰρ οὐ τοσοῦτον οὐδὲν, ὥστε … „mehr geschehn wird mir doch nicht, als daß …"

§. 81.

Proprii archaismi sunt participia substantivorum vices agentia: τὸ παθοῦν desiderium (Trach. 196), τὸ θέλον voluntas (O. C. 1220), τὸ δρῶν, operae, munera (O. C. 1604) τὸ νεάζον juvenes (Trach. 144). Quae nobismet quidem archaismum non sapiunt, quum talia potius philosophorum esse nobis videantur, at certe tunc temporis novum aliquid ac nervosum sonabant. Nam reperiuntur quidem ea apud Aeschylum, Thucydidem, Sophoclem, neque tamen ea arrident Euripidi. Idem dicendum est de meris substantivis cum dativo conjunctis apud Aeschylum et Euripidem ut δώρημα γέρας τινὶ Phoen. 948. — βροτοῖς δοτῆρ' ὁρᾷς Prom. 613.

---

§. 82.

Oxymora, hypallagae, enallagae.

Non satis est in poesi dare multa ac varia, sed opposita quoque postulamus. Nihil rem re opposita magis illustrat. Est autem delectatio, quam e talibus rebus oppositis trahimus, solius *mentis*, et ad sentiendi libertatem tuendam in poetis legendis haud vilissima causa. Attamen haec nonnisi tanquam sali et condimento esse debent, quum qui ea nimis captat perinde atque qui omnino non utitur, taedii fiat plenus. Coquorum mali tantum, ut more nostratum loquar, imitatorum pecus, nimis condiunt, veluti, ut exemplo utar, St. Augustinus aliique posterioris latinitatis auctores, qui pronunciationes suas sale antithesium immoderatissime conspergunt. Sed qui modus sit justus, tu quaere ex natura eque Graecis discipulis ejus sincerissimis. Id autem prae ceteris observes, adhibenda opposita ad excultas tantum litteras pertinere, a primis autem earum

aetatibus esse aliena. Hinc est, quod apud Homerum nulla in singulis verbis et cogitationibus antitheta reperimus, sed, ubi plurimum, in universis personarum notationibus (Polyphemus — Odysseus; Thersites — Atridae; Theoclymenos — proci superbientes Od. 20, 351). Quo magis autem populus sui fit conscius, quoque plus rationum' et judiciorum tanquam prospectuum ascendit animus, eo artificius exaedificant orationem. Itaque maximum oppositorum usum ubique reperies apud poetas dramaticos, quippe quum drama omnis cultus fastigium sit. Omnes tamen et singulas hujus artis partes monstrare aliorum, si deo placet, temporum erit, hic enim persequar meum.

§. 83.

Apud Sophoclem oppositorum feracissimum poetam tantopere per totas fabulas disseminatae sunt hae symphoniae discordes, ut inde a totis personarum contrariarum notationibus (v. § 15) usque ad minima orationis cola decurrant, ubi nomen ferunt oxymororum. Habeas, quae in promptu sunt.

σκότος βλέπειν O. R. 419, 972, 1273.
φωνὴν ὁρᾶν (de caeco dictum) O. C. 138 Cf. O. C. 74, 146, O. R. 1325.
φῶς ἀφεγγές O. C. 1549.
ἰὼ σκότος ἐμὸν φάος, ἔρεβος ὦ φαεννότατον Aj. 394. Cf. Phoen. 377, Choeph. 317.
ὥς τις Ἅιδᾳ παρακείμενος ὁρᾷ Phil. 861.
βέβηκεν ἐξ ἀκινήτου ποδός e vita decessit Trach. 875.
ὕπνος ἄυπνος Phil. 848.

Non pauca congessit Blomf. in gloss. Ag. 81.

§. 84.

In *hypallaga* epitheton ad genitivum pertinens a substantivo alieno attrahitur, quod quidem explicandum est ex illo Graecorum studio, e quo notionibus jejunis atque abstractis coloris quam possunt maximum, adtribuunt, atque hoc tale adtributum rei concretae adimere quam abstractam infinite ponere malunt.

O. R. 1375 *ἡ τέκνων ὄψις ἦν ἐφίμερος, βλαστοῦσ' ὅπως ἔβλαστε.*

Aj. 7 *κυνὸς Λακαίνης ὥς τις εὔρινος βάσις.*
Phil. 1123 *καί που πολιᾶς πόντου θινός.*
De hoc tamen exemplo incertus sum: Fit quidem, ut alicujus poetae notissimi verba (huc attinent Homeri *θῖν' ἐφ' ἁλὸς πολιῆς*) ab aliis poetis immutentur, ut immutatio significationum spectatores delectet; quo jure tamen litus dicatur ravum, frustra delibero, quamvis litoris conspectum in memoriam mihi reducam. Videas igitur, annon *πολιοῦ* h. l. lectio sit germana. Quod Schneidewinus dicit verba *πόντου θινός* esse unam notionem, hoc nihil affert; haec enim una notio nihilo secius est 'litus', non 'mare'.
Ejus modi ap. Eur. Her. fur. *γραῖαι ὄσσων πηγαί, λευκοπήχεις κτύποι χεροῖν.*

§. 85.

Enallagarum genera tria sunt: *numeri*, (quod genus rarissimum), *generis*, *casus*. Mutatio numeri fit in allocutionibus, si quis duos vel plures significat, sed cum uno tantum verba facit.
O. C. 1102 *ὦ τέκνον, ἦ πάρεστον;*
Quia in praesenti solam Antigonam amplexatur, hinc *ὦ τέκνον*, sed quia caecus, etiam ne Ismena adsit, videre nequit, hinc *πάρεστον*. Dualis, quum alibi (ut v. 1204) plurali utatur, h. l. justa de causa adhibetur, nam in ejus usu simul inest interrogatio: 'adestne etiam sororum altera?' Omnino, dualem alteram personarum acutius premere, pluralem generalius loqui, ac sine tali plano discrimine, apud tragicos est tenendum.
O. C. 1204, 1112
προςέλθετ', ὦ παῖ.
ἐρείσατ', ὦ παῖ, πλευρὸν ἀμφιδέξιον.
Item in v. 1115 *τὰ πραχθέντα μοι εἴπατε*, quum jam nihil prorsus intersit, *quot* adsint, sed ut *quaepiam* narret, rogatur.
Phil. 369 *ὦ σχέτλι', ἦ 'τολμήσατε;*
Phil. 466 *τέκνον, στέλλεσθε;*
Eodem pertinent *ἴδε* et *ἄγε* apud omnes auctores a plurali verbi seq. excepta. Saepe pronomen *ὅστις* in locis communibus ad pluralem aliquem referri solet, item *οὗτοι* ad singularem.

Ant. 709 ὅστις γὰρ αὐτὸς ἢ φρονεῖν μόνος δοκεῖ ἢ ...., οὗτοι ὤφθησαν κενοί.

Aj. 760 τὰ ἀνόητα σώματα πίπτουσι δυςπραξίαις, ὅστις μὴ φρονῇ. Item Ant. 1166.

Numerus mutatur etiam Ant. 133, 1022.

O. C. 1676 ἰδόντε καὶ παθούσα.

Conspexerunt quidem ambae sorores patris obitum, sed quid illo momento toleraverit altera, altera dicere nequit. Quare Antigona de proprio tantum dolore verba facit, quasi dicere velit: Sola ego scio, quid ego tulerim.

O. C. 1084 θεωρήσασα.

Εἴθ' ἀελλεία πελειὰς νεφέλας κορέσαιμι τῶνδ' ἀγώνων θεωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα.

Femininum emanavisse videtur ex omissione particulae comparativae ὡς, ὥςπερ, ita ut status, qui optatur, continuo ad rem comparatam annexus sit. O daß ich eine Sturmtaube spähend aus Wolken mein Auge letzte an diesem Kampf!

El. 979 ἀφειδήσαντε, 1003 πράσσοντε (de Electra et Chrysoth.) O. C. 1113 ἐμφύντε (de Ant. et Ism.)

§. 86.

Genus mulierum in dramate.

Priusquam de his exemplis dicam, mihi notandum videtur, qua ratione omnino mulieres in tragoediis sibi vindicent genus masculinum. De qua re canon Dawesii:

> 'Ubi de una muliere masculinum genus ponitur, semper plurali numero utuntur, et vicissim ubi pluralem de muliere ponunt, genus masculinum usurpant.'

Id jam nemo negabit, in hujusmodi participiis, ut supra attuli, actiones quasdam contineri, quas ad exsequendas virium atque animi aliquid postulatur. Quapropter fortasse illa masculina, ubi spectatorum auribus obrepebant, illum animum, quocum puellae quasi virorum vices egissent, significare debuerunt. Ad illud ἐμφύντε explicandum cf. v. 1368 αἵδ' ἄνδρες, οὐ γυναῖκες, εἰς τὸ συμπονεῖν. Et vita non parcere (El. 980) bonaque paterna defendere cujus est si non virorum?

El. 399 πεσούμεθ', εἰ χρή, πατρὶ τιμωρούμενοι.

Masculinum non male auget atque premit Electrae superbiam!*)

Ant. 926 εἰ τάδ' ἐστὶν ἐν θεοῖς καλά, παθόντες ἂν συγγνοῖμεν . . .

Etsi Antigonae verba sunt, tamen hic locus communis omnibus hominibus dictus est. — Notandum est h. l. in Euripide ejusmodi rationes raro tantum convenire. Quod tamen noli mirari. Haud enim raro tibi observare licet *aliquam rem grammaticam, si processum ejus per omnes tres tragicos persequeris, apud Aeschylum videri externis causis oblatam, apud Sophoclem in conscientiam poetae ingressam ethicisque de causis usurpatam, apud Euripidem jam usu solaque consuetudine sine quadam legis ratione adhibitam.*

Regulam absolvamus. Chorus e mulieribus consistens et ab aliis appellatur et de se ipso loquitur in masc. gen. sing. — Praeterea non raro neutrum genus de choro, etiamsi e senibus, omnino viris consistat, a tragicis usurpatur.

Pers. 1 τάδε πιστὰ καλεῖται „Das sind die Getreuen."

Haec cum re noli confundere illud neutrum Euripideum nonnunquam de mulieribus diverbii usurpatum. Illic enim contemtus et odium loquuntur, quae ad ostendenda ille poeta nullam occasionem omittit**).

---

*) Talem explicandi rationem quibusdam nimis erutam atque quaesitam visum iri equidem non ignoro. Nec tamen id me impediet, quominus causas et ortus colligam, ubi illi solis factis regulisque contenti sunt. Omnia tandem linguae idiomata aliquando ortum sumsisse necesse est, tantum quod ille ortus non raro exterior est quam in quo doctrina acquiescere possit. Priusquam enim me naso suspendas, perscrutare, amabo, annon prima tragoediae aetate, qua quidem omnes artes modo inhabili ac fere puerili proferunt formas suas, illud masculinum inde ortum duxerit, ut personis femineis subessent viri, illud neutrum autem fortasse ex potestate abdita significationis 'πρόςωπα.' Cujus rei decursum veri similem vide in contextu expositum.

**) Denique omnia defendi possunt, etiam Euripides ab odio mulierum — siquidem singulos locos scrutaris et ex personarum conditionibus vi eruis defendendi materiem. Sed faciamus parem rationem. Fingam poetam singulorum locorum non esse μισογύνην,

Trach. 336, 342, 344 οὓς ἄγεις ἔσω cet.
Verte 'homines illos', quum h. l. genus eorum non premitur. Ubicumque enim fieri potest, masculinum regnat in scena (ut in vita). Etsi igitur illi homines sunt virgines captivae, tamen verbis illis sententia generalior inest haec: Visne quis maneat in scena an abeant omnes?

---

§. 87.

Enallagae casuum innumerabiles reperiuntur. Congero haec: Hom. Il. 17, 554; 22, 109. Pers. 892; Ag. 1619; Choeph. 408; Prom. 217; Iph. A. 491, (Eur.) El. 1248; Hel. 58; Tro. 119; Med. 353, 660, 888, 815, 744, 910, 1238.

Apud Sophoclem sunt

El. 480 ὕπεστί μοι θράσος .... κλύουσαν ...
El. 962 ᾗ πάρεστι .. στένειν, ἀλγεῖν γηράσκουσαν.
Item Aj. 1007, El. 1250, O. C. 1440, Ant. 1001.

Vides autem Nostrum quidem enallagam casus ita adhibere, ut casuum alter ab altero ubique pluribus verbis interjectis disjungatur, quare θανόντ' in O. C. 1436, quod libri habent, accusativum, quem Elmslejus voluit, non esse apparet. V. § 48.

---

tu contra concede totum poetam. In dijudicandis iis, quae homini poetae propria sint, sic mihi stat ratio, ut e scriptorum universitate (et ad hoc quidem vix suppetunt quae extant), non ex partibus frustisque consummem judicium. Itaque ubi totum spectas poetam, palmam patientiae feras, si denique illud mulierum fastidium non ipse fastidias.

De arte Graecorum praesertim tragicorum, res tanquam personas fingendi (προςωποποιεῖν) aut omnino sensibus subjiciundi.

§. 88.

Ad res, quatenus vita carent, Graeci semper tirones fuerunt ac peregrini. Hujus populi fere quisque a natura factus poeta necessitate quadam adducebatur, ut mundum rebus animatis sibique consanguineis circa se frequentaret. Itaque omnes eorum poetae de notionibus a sensibus abstractis ita loquuntur, ut eas tanquam personas tractent atque conscientia animent. En totum linguae eorum poeticae secretum! Ac fidenter contendas poetarum quemquam, quo magis inscius hujus artis lectoribus nudas notiones obtulerit, eo taedii pleniorem apud Graecos fuisse, et vicissim ut quisque aetate maximus fuerit, ita rerum quas dicimus objectarum sensibus subjiciendarum fuisse appetentissimum.

Alia scilicet nostra est rerum percipiendarum via et consuetudo, qui quidem animi motus nimis captantes in sentiendo quasi heluamur, quod contra Graeci optime se habebant, quum naturae contemplatione, quae ingenio eorum quasi pabulo naturali erat, animi libertatem servare aut restituere poterant. Quantum commodi et emolumenti his rebus Graecae poesi fuerit prae nostra, est apertum. Et profecto, quandocumque Homerum evolvo, jam nihil nisi epitheta respicienti mihi amaritudo quaedam ac paene dolor obrepunt, quod illud copiarum cornu inexhaustum, Graecis paratum, nostris poetis perditum sit in aeternum, imo vero etiam, quod nostrorum saeculorum homines jam nihil valeant nisi copiarum, quas in unico illorum epithetorum poeta effudit, minimam partem percipere ac sentire, nedum totam summam mente complecti, quum nobis quidem potius sit consuetudo cum animo nostro et cum miseriis ejus quam cum divina natura constantiaque ejus nunquam turbata. Vitae autem fontes et copiae, quae poesin Graecorum perfundunt, plane immensae sunt. Tentes velim versuum e Sophocle vel Aeschylo, undecunque locorum lubet, quinque — statim artis illius abunde habebis documenta.

§. 89.

Quamobrem et lectorum et mea causa experiamur, ut quendam conspectum et ordinem in materiem nostram inferamus.

Ac primum notabo quandam poetarum artem animantia clarius ante oculos eo ponendi, quod iis tribuunt aliorum animantium proprietates, troposque *commutando* magis perspicuos reddunt. Eo spectant mutuae inter infantes et avium pullos rationes.

O. R. 17 *οἱ μὲν* (infantes) *οὐδέπω πτέσθαι σθένοντες.* — *Τὰ τέκν' ἔχων ὑπὸ πτεροῖς* Eur. Antigonam (v. 423) nuntius facit *ἀνακωκύουσαν πικρᾶς ὄρνιθος φθόγγον.*

Ab avibus (etiam a nubibus, ventis) translationes sibi assumunt, qui, ut ipsi in aetherem vel alii in perniciem abripiantur, preces faciunt. (Aetheri quasi terrae vestimento sunt plicae, *πτύχες*, Eur.).

Huc attinent etiam ea verba ab animalibus detracta, de quibus v. § 53, velut *ὑλακτεῖν*, *σαίνειν*, *πτώσσειν* cet.

§. 90.

Dein consideremus, quomodo singulae et hominum et rerum partes a corporibus disjungantur propriique juris reddantur. De *πλεῦρον*, *δέμας*, aliis v. § 54 a. Saepe poeta, nudo pronomine ei non sufficiente, a corpore eam partem, de qua praecipue sermo fit, segregat rursusque quasi ejus vicarium sensibus magis oblatum ei adjungit. Graeci enim notiones usque in quam possunt artissimos certissimosque fines repellunt.

Aj. 1147 *σὲ καὶ τὸ σὸν λάβρον στόμα.*

Phil. 1378 *σὲ τήνδε τ' ἔμπνουν βάσιν.*

O. C. 750 *σὲ κηδεύουσα καὶ τὸ σὸν κάρα.*

Quin etiam mores, consuetudines ita tractant.

Ant. 95 *ἔα με καὶ τὴν ἐξ ἐμοῦ δυςβουλίαν παθεῖν* — quasi *ἡ δυςβουλία* sit persona quaedam illi confoederata.

O. R. 905 *μὴ λάθοι σε τάν τε σὰν ἀρχάν.*

Neopt. in Phil. 1253 *οὐδέ τοι σῇ χειρὶ* (= *σοὶ*) *πείθομαι τὸ δρᾶν.*

Ant. 43 *εἰ τὸν νεκρὸν κουφιεῖς ξὺν τῇδε χερί* (= *σὺν τῇ σῇ ἀδελφῇ simul cum sorore.* Noli cogitare de *hac tua manu.*)

Omnino huc attinent *τὸ σχῆμα καθ' ὅλον καὶ μέρος* cum omnibus ejus exemplis § 66 allatis.

Affari sua membra vel alias res Graecis erat usitatissimum. Affantur manus suas Philoctetes v. 1004 (*ὦ χεῖρες, οἷα πάσχετε·*), pedes v. 1188, alii alia. Nemo Philocteta frequentius cum rebus inanimatis verba facit, qua in re mirum poetae sensum mecum mirare. Tot annos in solitudine versatus ille paene in consuetudinem recepit, res, quas circa se habuit, intelligentia implere querularumque suarum participes reddere. Hinc illae allocutiones in fabula tam frequentes armorum, morbi, regionis, bestiarum, avium, maris, nubium, aliorum. —

Hercules manus, tergum, pectus affatur Trach. 1090.

---

§. 91.

Omnium tamen frequentissimum artis, de qua tractatur, genus est illud, ubi aut notiones abstractae speciem *rerum*, aut et notiones et res speciem *personarum* induunt.

Eo spectant multa, quae *πτεροῖς* exstructa, *πτερωτά, πτηνά* finguntur, ut *ἐλπίδες, γόοι, φυγή, τύχη, μῦθοι, ὄνειρον, φθόγγος.*

Curis tribuuntur tela O. R. 170, *Defensioni* oculi vetusti (O. R. 189 *εὐώψ*). Graeci dicere nesciunt: *accedit ultio*, sed ubique substituunt speciem Furiarum, illarum *ἀφύκτων κυνῶν.* Ut personae finguntur *Somnus* (saepe in Phil.), *Tempus* (*εὐμαρὴς θεός* El. 179) omnium rerum judex O. C. 1454.

Res adversae quasi maria fluctuant. *Morbis* ferarum bestiarum natura est Phil. 758, 787, 808, Trach. 1030, pari modo Pestilentiae O. R. 27.

Igni, *morbis*, *pesti*, *bello*, *tempori* ob voracitatem sunt *γνάθοι, λαιμός.* *Civitati* tribuuntur navium tam partes quam pericula, item caput humanum (O. R. 23 caput e sanguineo miseriae fluctu vix tollere potest). *Gratiā*, *Di-*

vitiae, *Gaudia* 'evolant e conspectu'. De *Amore* ac *Dolo* cf. δόλος ἦν ὁ φράσας, ἔρος ὁ κτείνας El. 197 *).

Dolores, *questus* ut animi pabula finguntur Choeph. 26 ἰυγμοῖσι βόσκεται κέαρ. El. 363 τοὐμὲ μὴ λυπεῖν μόνον βόσκημα **).

Scelera tanquam hostes impugnantur. El. 1086

ὡς καὶ σὺ πάγκλαυτον αἰῶνα κοινὸν εἵλου, τὸ μὴ καλὸν καθοπλίσασα ***).

---

*) Perperam servatum. Scribendum est: ἔρος ἦν ὁ φράσας, δόλος ὁ κτείνας. Vices, quas in librorum lectione agunt ἔρος et δόλος, conveniunt neutri.

**) Verba claudicant, quamvis editores sustentare ea laborent. Illud μή editoribus tantopere in medullis haerere! (τοὐμὲ μὴ λήγειν γόων Schneidew., τοὐμὲ μὴ λυποῦν μόνον Erfurdt. τῶνδε μὴ λυπεῖν μ. Nauck.) Videntur sane nonnunquam perhorrescere emendatores, ne verba restituant nimis nervosa! Attamen minime ea est Electra, quae putide ac delicate in verbis se gerat. Scribendum est τοὐμ' ἀεὶ λυπεῖν μ. β.

Am reichen Tisch des Lebens schwelge du!

Mein einzig Futter sei mein ew'ger Gram.

Cf. Shakesp. Coriol. act. III sub fin. „Ire is my meat, i feed upon myself.

***) En alter locus, ubi nodum in scirpo quaesiverunt. Τὸ μὴ καλόν dicuntur Aegisthus et Clytemnestra eorumque scelera, quae ultione persequi Electra constituit. καθοπλίζειν est *ad arma vocare*, facere ut arma capiat aliquis. Provocat autem Electra matrem ad arma eo, quod se ipsam praebet odio armatam. Quid simplicius?

In v. praecedente verba πάγκλαυτον αἰῶνα κοινὸν εἵλου jure corrupta habentur. Hermannus, Erfurdtius, Wunderus αἰῶνα de morte explicant quae omnibus sit κοινή. Sed quid Electrae cum morte? Imo abhinc magis quam antea vult vivere — ultionis causa! Nauckius, Lachmanni interpretationem secutus, voluit σύνοικον, h. e. ὥστε σ. socium, comitem εἶναι. Nihil magis supervacaneum. Nimirum vitam suam miserabilem necessario sibi, non aliis elegit! Equidem ipsum loci caput desidero, quod sub κοινόν latere liquet. Itaque scribo αἰῶν' ἄοικον. Domi enim ut peregrina habetur Electra et κεναῖς ἀμφίσταται τραπέζαις. Cf. 189—192. Ita demum apte annectuntur verba sequentia. Quia contra matrem certamina parat, jam domi tanquam in exilio degit.

Inprimis digni, qui notentur, sunt loci ejusmodi:

O. C. 267 τά γ' ἔργα μου πεπονθότ' ἐστι μᾶλλον ἢ δεδρακότα. Proprie dicendum erat ἐνηνεγμένα μᾶλλον ἢ δεδρασμένα.

O. C. 240, 977 ac saepius ἔργα, πράγματα dicuntur ἄκοντα. Ubique enim Oedipus, quum factorum suorum fit mentio, tacita ac delicatissima vereeundia inhibetur, ne suam ipsius personam illarum rerum nefandarum auctorem reddat, sed a sese avellit facta, atque ipsa culpam praestare jubet. Igitur voluntate quadam animantur, quasi ex ipsis iis rerum eventus pependerint. Rerum ita fictarum multitudo tam innumerabilis reperitur, ut pauca prae ceteris eminentia protulisse satis esse videatur.

§. 92.

Tribuuntur pedes navibus, montibus. ναῦς ἐκίνησε πόδα. Ex eodem amore notionibus certas imagines substernendi ortae videntur locutiones ἐκ ποδός, κατὰ πόδα, ὑπὸ χειρός, ἐκ χειρός, quas etiam nos metaphorice vertimus „unter der Hand, stehenden Fußes cet." Dolores naturam avium induere, praesertim lusciniae, est notum. Omnino est quaedam lingua poetica, cujus omnes populi habent societatem, quantum equidem poetas eorum adire potui. Certis rebus est sua poetica nota ingeniumque peculiare omnibus valens temporibus. Ita luscinia personam doloris amore vel pietate queritantis tuetur tam apud Indos Persasque quam apud Graecos, Romanos, Germanorum nationes. Exempla hic non habent locum, velim tamen attendas certos insignes versus Euripidis in choris ejus, quos, quamvis fortuito tantum fabulis adhaerere videantur, per se non raro summa cum imaginum pulchritudine ille effinxit. Ita Rhes. 546 (pulcherrimus cantus matutinus; item in Phaët.) Hel. 1116, in Jone pluries.

Ubi est populus ille, quin *montibus* caput, verticem, pedes, tergum tribuat? Vel etiam ὀφρύες et δειράδες, (cervices) iis addicuntur Ant. 831. Utpote nulla erat arbor, nullus mons, quin Graeci illi vegetissimi, si modo humanae naturae typum procul ostenderent, non statim tanquam personas animo sibi fingerent.

Vitulo (*μόσχῳ*) puellam innocentem flebilique maerore affectam significanti occurrimus ab Arabibus usque ad Ossianum. Ubicumque homines *doloribus* cruciantur, cor eorum dicitur a vulturibus bestiisque lacerari. Ubique terrarum post equitem sedet atra *cura* atque *καρδίαν ἀμύσσει* Pers. 137; ut canes adulantes finguntur *αἱ ἐλπίδες* ac vetustis quidem sed fallacibus oculis te aspiciunt. *Nox* omnibus populis qui meridianam terrae partem habitant, dicitur sacra, *εὐφρόνη* (quae beat et oblectat. Nam grammatici tantum cujusdam esse potuit explicare *ὅτι νυκτὸς τὸ φρονεῖν ὡς μάλιστα παραγίγνεται*!!). Nox enim illic respirare ac refici sinit, quae diei ardores defatigarunt. Noctu etiam mysteria sua ex illis populis imprimis Graeci celebrabant. Nusquam *Fortuna* potuit, quin mare fluctuosum sit, quo sortes hominum ut naves jactentur, donec in portum otii confugiant, relictis procul pone se tempestatibus, quae dicuntur equitare per undas Phön. 220, Hor. C. IV, 4, vel undas atris alis pulsare. (Imaginum de ventis, nubibus, nocte audacissimas fingit poesis nationum septentrionalium; nam etiam in his varii populi pro suo ingenio proque terrae natura varium delectum faciunt.) Omnes homines, qui res nauticas colunt, amorem notabilem habent naves ut res animantes sibi fingendi. Et profecto ad intelligendum talem amorem necesse est ipse videas naves fluctibus invectas, atque ipse affueris, ubi vitae hominum solum tenuibus navium costis a morte segregantur. Itaque membra humana navibus tribuunt, consilia habent cum iis, familiarius iis quam ipsis hominibus utuntur. Hinc fit, ut vocabula nautica (v. § 51) ejusdem paene ubique notionis tralatae reperiantur. De venandi negotiis res amatoriae permultas voces assumunt. (*ἄγρα*, *ἄγρευμα*, *ἡμερόω*, *βρόχοι*, *ἄρκυς*, *ὀϊστός*, *ἰός* cet. Plurima tamen etiam de dolo, insidiis, ultione, morte, apud Graecos praecipue de Furiis.)

§. 93.

Sed tempus est, ut ad propositum revertar lexiconque poeticarum translationum copiosius componendum aliis permittam.

Ad ea, de quibus tractare coepi, spectat etiam *τὸ σχῆμα* quod dicunt *κατὰ τὸ σημαινόμενον*. Graeci ubi

semel notionem aliquam abstractam afferunt, in ea stare ac pergere nesciunt, sed in rem sensibus apertiorem vertunt.

Phil. 713 ὦ μελέα ψυχά, ὃς ... ἥσθη.

Chorus quamquam rem a materia sejunctam appellavit, statim tamen cogitationem deflectit ad Philoctetis aegrotum corpus habitumque *extrarium*. (Item Phön. 519 ἀνανδρία, ὅστις ..) Ex eadam causa adjectiva loco adverbiorum posita, imo etiam illa participia duplicata (§ 72) censeo prodiisse.

Jam ap. Hom. χθιζὸς ἔβη.
πανάμερος μόλοι Trach. 657 (si lectio sana).
ἐναύσιος βεβώς Trach. 165.
O. R. 673 στυγνὸς μὲν εἴκων δῆλος εἶ (pro δηλονότι).
Aj. 326 καὶ δῆλός ἐστιν ὥς τι δρασείων.
Aj. 633 κρέσσων γὰρ Ἅιδᾳ κεύθων ὁ νοσῶν.

Aliis in locis pari modo ἴσος, ἐμφανής, πρέπων, δίκαιός εἰμι, ubi quidem Graeci adverbii notionem cuidam personae delegare vel notioni abstractae aliquam concretam substernere quam illam sensibus omnino eripere malunt.

§. 94.

Imaginibus clarius exsculpendis denique ars verborum decompositorum apud Sophoclem inservit, ita tamen ut utramvis praepositionum supervacuo esse positam nusquam reperias. E locis vexatis hos perscribo:

O. C. 1562 Αἰδωνεῦ, λίσσομαι ἐπιπόνῳ μήτ' ἐπὶ βαρυαχεῖ ξένον ἐκτανύσαι Στύγιον δόμον. Ita libri vitiose. Schneidew. cum Brunck. ἐξανύσαι, Herm. ἐγκατανύσαι mutata antistropha. Wunderus κατανύσαι, quod credo germanum. Nihil h. l. adest, *ex* quo Oedipus exire dicatur, nisi alienam quandam notionem ipse arcessas. Ex *malis* suis Oedipus dudum egressus est, atque jam inceperunt honores ejus divini. Nihil nisi hoc dictum est: Utinam ne Oedipus misero ac doloroso leto descendat ad inferos! — Τὸ ἐξ referri ad letum illud vetat praepositio ἐπί, quae significat *in aliquo statu abire*. Fortasse igitur, quum τὸ υ sit correptum, in antistropha legendum ἀεὶ λόγος ἔχει.

Ἐξαπιδεῖν (ἅπαξ εἰρημένον) O. C. 1644 'e longinquo ab illo loco regressi conspeximus'. Etiam cum tmesi

Phil. 328 *κατ' αὐτῶν χόλον ἐγκαλῶν* iram in aliquem conferre.

Aj. 969 *πῶς τοῦδ' ἐπεγγελῷεν ἂν κατά;*
Omissis ceteris exemplis vides jam, quae illa sint, quae versus Sophocleos nonnunquam tanta copia notionum referciant, ut nos, quae Graecis pressa et plena audire licuit, locutionibus vulgaribus atque prosaicis extenuare atque in latum resolvere cogamur.

---

§. 95.

Addere denique liceat pauca de *colorum* quorundam significationibus commemoranda.

Album pingit et serenitatem, et castitatem et munditiem. *Λεῦκα* sunt coelum, dies, quantum ego inveni, solum apud Graecos et Romanos, fortasse quia ille nitidus, *ἀργής*, coeli color solum in terris circa mare mediterraneum sitis reperitur. Albus Notus Hor. C. I, 7, candidi favonii III, 7, clarus Aquilo Virg. — venti qui et nebulas dispergunt et coelo serenato flare pergunt. Quare tempestates vocantur sonorae (Virg.), *θυέλλαι ἠχηέσσαι* (Hom.), quia per purissimum aërem acuto sono invehuntur. Nos quidem hoc epitheton aegre intelligimus, quum sub coelo Germanico ventorum sonitus et quasi voces vaporibus nebulisque, quae prorsus nunquam aërem nostrum relinquunt, deprimantur et obtundantur.

De significatione serenitatis transitus fit facillimus ad eam prosperitatis. *Λευκὸν ἦμαρ* Pers. 301, Aj. 709, Mein. Men. p. 107. Simplicissimo modo explicatur ex Pers. 301 *λευκὸν ἦμαρ νυκτὸς ἐκ μελαγχίμου*. Ortum est igitur ex opposito. Alii cogitarunt de Scytharum usu quodam dies faustos faba alba, atros nigra notandi. Nimis arcessitum. Cf. Plut. Per. 27. Ap. Aristoph. gaudium est albi coloris. *λευκοὶ ψῆφοι* suffragia fausta.

§. 96.

Inde facile apparent *nigri* coloris significationes. *πόντος, κῦμα μέλαν* quid sibi velit, is tantum plane intelliget, qui ipse mare conspexit et ejus seditiones expertus est. Maris color, ubi in alterutro oppositorum suorum est, aut

illud caeruleum (γλαυκόν) ostendit aut atrum illum lurorem, quem perhorrescunt, qui primo conspiciunt. Praeterea ναῦς μελ. raro ab interpretibus recte expositum. Plerique enim volunt esse 'nigrum' idem quod 'tempestatibus confectum', aqua marina adesum, cujus coloris sunt ligna in aqua diu versata. Talibus vero lignis nemo nautarum, opinor, vitam suam committat, si illa nigritia virtutem non meliorem testetur. Naves liquida pice obductae ac satiatae decoris causa alio colore perlinuntur, quo ab undis postea abluto lignum rursus apparet pice fucatum, sed omni nitore privatum.

Nigra sunt etiam θάνατος, Κῆρες, ὀδύναι, ἄχη, νεφέλη, Ἆραι, Ἐριννῦς, τύχη, ὄναρ, ἀνάγκα.

§. 97.

Ὠχρός atque quae verba sunt cognata, apud Graecos solummodo de proprio colore pallido adhibentur, vel summum de metu, horrore, angore, quae pallore afficiunt. Invidiae, zelotypiae, malignitati hunc colorem tribuere non est Graecorum.

§. 98.

Χλοερός, χλωρός, proprie de colore subviridi τῆς χλόης, germinis nuper nati. Insunt igitur huic vocabulo duae notiones, quas usus sensim segregavit: aut vigoris, integritatis, nitoris (id quod ad rei naturam internam spectat) aut palloris (id quod ad colorem). Itaque in metu, horrore, si χλωρά dicis, alteram tantum notionem (coloris) respicies; sed in δάκρυσι χλωροῖς (Eurip.) i. q. θαλερὸν δάκρυ Homeri, lacrimae large profusae tanquam flores qui ex oculis luxuriose progerminant — priorem tantum notionem (vigoris).

§. 99.

H. l. vocabulum διερός attingere liceat, quod Lehrsius (de Arist. p. 57) e verbo nativo ΔΙΩ, δίεσθαι exortum putat. Videamus primum, quibus rebus sententia ejus fulciatur. Quia verbum illud significet et *fugere* et *fugare*, etiam διερός esse et *fugax* et *fugiendus*, quod quidem sumit Lehrsius, ne aliis locis repugnet Od. ζ, 201

οὐκ ἔσθ' οὗτος ἀνὴρ διερὸς βροτὸς, οὐδὲ γένηται
ὅς κεν Φαιήκων ἐς γαῖαν ἵκηται δηιοτῆτα φέρων.

Itaque locum sic interpretatur: Non est iste vir fugator homo (i. e. quem fugere opus sit), omnino autem nemo erit, qui animo infesto ad Phaeaces accedat. Ne id quidem pressurus sum, quod e vocabulo *διερός* summa tantum cum violentia notio viri fugatoris extorqueri possit, sed tota pronuntiatio interpretatione illa tali miro modo discerpitur, quali Homerus nusquam locutus est. Statuit enim Lehrsius verbis *οὐδὲ γένηται* novum subjectum accedere, sed *τὸ* „*οὐδὲ γένηται*" *τῷ* „*ἔστι*" exegetice annecti quis ignorat? (*π*, 437) Lehrsius ipse pulchre sensit hoc esse interpretationis suae scopulum. Apparet igitur verba *οὗτος ἀν. δ. βρ.* quasi unicam debere esse notionem, quae relativo sequenti propius definiatur.

Tum vero, quod alterum est, veteres omnes uno ore et animo significationem uvidi humidique tradiderunt, quae causa tam temere transiri nequit. Quamvis inepte quidam grammatici *διερός* a *Διός* (a Jove pluvio) derivaverint, nemo tamen verbum *διαίνω* e poetis extinguere poterit, ad quod illud *διερός* pertinere apertum est. Cujus origo quaequae est (quid obstat quo minus ipsum illud sit verbum nativum, quippe enim initium aliquando sumi necesse est) — nobis in eo acquiescendum videtur, quod *διαίνω* est *rigare*, *humectare*. Deinde autem a primis Graecorum initiis huic opinioni occurrimus, de qua Schol. ita: *τὴν ῥωὴν ὑγρότης καὶ θερμασία συνέχει, τὸν δὲ θάνατον ψυχρότης καὶ ξηρασία.* Alios vid. ap. Lehrs. Nam initia philosophiae Jonicae jam in Homero aperte reperiuntur. Naturali modo veteres vim vitalem tanquam humorem et plantas et animantia penetrantem sibi cogitaverunt, quum omnes res in se ipsis cohaerere, quamdiu humidae sint, exsiccatas autem delabi videamus. Nec vero, ut Lehrsius censet, physiologus sis necesse est, ut intelligas, qua via notio humidi in eam vegeti vividique transierit. Numnam fortuna vocabuli *χλωρός* fuit alia? Qui tandem factum est ut color subviridis germini novelli denique significaret vegetum et integrum, ut *δέξιον* (a *δείκνυμι*) prosperum, ut *φοίνιον* cruentum? cett. Responsionem pete a populo, ab usu, a tempore, nam est *εὐμαρὴς θεός*. Cf. nostra Regen, regen (frisch). Quod autem Lehrsius dicit neminem

διερόν (humidum) esse dicendum, quin sudet, vel e lavacro prodeat vel madeat pluvia, quanti hic scrupus ducendus sit, ipse reputes.

Itaque hyperbola illa (nam nihil aliud est) nihil sibi vult in Od. ζ, 201 nisi: Non est iste vir inter vivos (non vita fruitur) nec erit, qui ...

---

§. 100.

Γλαυκός a verbo *γλαύσσω, λεύσσω, λάω*. Notio antiquissima est non solum *videre*, sed *oculo truci torvoque videre*. Substantiva *γλαύξ, γλήνη* ex illo verbo demum prodierunt, non verbum e substantivis (*γλαύξ* Glotzvogel? Etiam Glotze (*γλήνη*) pro pupa in sermone plebejo nostratum auditur.). Hodie adhuc apud infantes et feros populos id observari licet quoddam animans modo puerili repraesentatorem reddi alicujus rerum proprietatis vel imaginis jocularis. E Graecorum lingua in promtu sunt *πτώξ* (*πτώσσω* sich ducken), Hase; *μῦς* a v. *μύω*, quia mus oculos claudit, ubi luci occurrit (Blinzelthier); *κολοιός* a *κέλομαι* „dahleu" i. e. plappern, hinc Dohle (vid. Buttm. lexil.). Praeterea cf. nomina propria in „Reineke Fuchs."

Significatio autem vocis *γλαυκός* ita procedit. Ex notione torvitatis prodiit ea occaecandi, visum praestringendi, quum ea, quae torve atque acute vident, visum nostrum praestringant, quare transitus fiebat facillimus ad notionem *micandi, coruscandi*. Ita mare sole collustratum, ubi quietum est, *γλαυκόν* dicitur, micans, glitzernd, quod est quasi deminutivum ad glotzen. Oculi Minervae sunt *γλαυκοί*, acres, acie acuta exstructi, qui mentis atque ingenii haberi solent. Ita temporibus antiquissimis et apud Homerum. Magis magisque autem posteri extendebant notionem verbi nostri. Quum enim fortuito colore caeruleo sint mare quietum, coelum serenum, etiam oculorum nonnulli reperiantur caerulei, posteri *τῷ* „*γλαυκός*" Homeri in illis rebus colorem caeruleum obtrudebant. Quod etiam alio modo fiebat. Nam quum apud Homerum multa, quae *γλαυκά* vocantur, pro colore caeruleo etiam alium, et versicolorem quidem, accipere sinant atque res micantes varios colores ostendant: vocaverunt *γλαυκά* etiam chalybem pisciumque squamas („schillernd"), felium oculos, dracones; tum roris

matutini nitorem subcaeruleum, quo poma, gramina obducuntur. Denique usurpatum est de canitie in argenteum inclinata foliorum olivae (O. C. 701), de luce aurorae nebulis violaceis circumvoluta (Theocrit.), de lividis radiis lunae. Postremo restitit sola notio serenitatis omni colore relictae vel aciei oculorum vivae (quantum quidem pertinet ad verbum *γλαύσσειν*, *λεύσσειν*). Quare hoc verbum, ubi absolute positum est in tragicis, acutissime opponitur oculis mortuorum vita atque nitore jam destitutis. *Ὁ μὴ λεύσσων* (*βλέπων*) is qui non amplius visu vivido, sed oculis fractis extinctisque te adspicit.

Loci

a me emendati aut defensi.

Aj. 59 Libros contra Herm. et Wunder. defendi §. 72 not.

El. 43 ἠνθισμένος recte servatum, perperam explicatum. §. 52 not.

El. 197 ἔρος et δόλος permutarunt locos. Nauckium idem conjecisse postea vidi. §. 91 not. prima.

El. 263 scripsi τοὐμ' ἀεὶ λυπεῖν. Alii alia §. 91 not. 2.

El. 435 Libros contra Nauckium defendi. §. 74 not.

El. 1086 Libri corrupte: πάγκλαυτον αἰῶνα κοινόν. Lege αἰῶν' ἄοικον. §. 91 not. 3.

El. 1283 Epodon mutilatum restituere sum conatus. §. 70 not.

O. R. 1330 Recte libri. Mutavit Nauckius. §. 35 not.

O. R. 1513 εὔχεσθ' ἐμοί. Ita libri inepte. Scripsi εὐχῇ 'στ' ἐμοί, et v. seq. ου καιρὸς αἰεὶ ζῆν, βίον ... (Libri: οὗ καιρὸς ἀεὶ ζῆν, τοῦ βίον) §. 49 not.

O. C. 589 ἀναγκάζουσι. Libri sani. Schneidew. ἄναξ, χρῄζουσι. §. 24.

O. C. 1431 θανόντ'· ἐπεὶ ... Libri. Scribendum θανόντι· ἐπεί. Totum locum latius vitiatum sanare conabar. §. 48.

O. C. 1451 ἐπεὶ μὲν ἕτερα. Inepte libri. Conjeci ὑπέρτερα τὰ μέν. §. 62 sub fin.

O. C. 1563 ἐκτανύσαι libri. Recte Wund. κατανύσαι §. 94.

Ant. 740 συμμαχεῖν restitutum volo pro συμμαχεῖ. §. 77.

Trach. 654 Recte libri οἰστρηθεὶς ἐξέλυσ'. Vitium in antistr. inest, ubi proposui συμπλακείς pro συγκραθείς. §. 76 et not.

Trach. 689 falso libri κατ' οἶκον. Conjeci κατ' ὄρθον. §. 56 not. altera.

Phil. 760 Versibus inter Neopt. et Phil. dispertitis sensus evadit melior. Editores cuncta Neoptolemo tribuunt. §. 78.

Phil. 1093 Restituendum Brunckii πλωάδες §. 53.

Corrigenda.

Adversa fortuna factum est, ut correctoris diligentiam nonnulla errata typothetae effugerint, quae ut lector benevolus excuset enixe rogat auctor. Sunt autem haec:

Pg.	1	vs.	4	a margine	inf.	leg.	rerum pro verum.
„	3	„	13	„	sup.	„	Epigenes pro Epigones.
„	ead.	„	eod.	„	„	„	tragoedia pro tragaedia.
„	ead.	„	9	„	inf.	„	Sophocles pro Sophoclis.
„	5	„	6	„	sup.	„	σκοτεινόν pro σκότεινον.
„	6	„	14	„	inf.	„	Atheniensium pro Atheniensum.
„	8	„	8	„	sup.	„	Jophontis pro Jophonis.
„	ead.	„	11	„	„	„	infausta pro in fausta.
„	11	„	22	„	„	„	ubi pro uhi.
„	ead.	„	23	„	„	„	Philoctetae pro Philoctetis.
„	12	„	11	„	„	„	Clytaemnestra pro Clytemnestra.
„	14	„	23	„		„ verba	'fortasse jam Sophoclis usus exemplo' delenda sunt.
„	19	„	15	„	„	leg.	ἦν pro ἣν.
„	ead.	„	17	„	„	„	ἔργον pro ἔσγον.
„	ead.	„	16	„	inf.	„	κοὐ pro κ' οὐ.
„	ead.	„	12	„	„	„	ἐστὶν pro ἕστὶν.
„	22	„	6	„	sup.	„	metiendos pro metiendns.
„	ead.	„	2	„	inf.	„	necessariam pro necessarium.
„	23	„	13	„	sup.	„	ἐν ἀνθρώποισι pro εἰ ἀνθρώποισι.
„	ead.	„	19	„	„	„	et pro el.
„	ead.	„	6	„	inf.	„	profundo pro profunda.
„	24	„	8	„	sup.	„	λέγω pro λέγον.
„	26	„	16	„	inf.	„	τῷ pro τῶ.
„	ead.	„	14	„	„	„	ὕβρις pro ὒβρις.
„	27	„	8	„	sup.	„	φῶς pro φὼς.
„	ead.	„	17	„	„	„	ἐμὰς pro ἐμάς.
„	ead.	„	14	„	inf.	„	Philoctetam pro Philoctetem.
„	ead.	„	13	„	„	„	Ὀδυσσεὺς pro Οδυσσὲυς.
„	ead.	„	eod.	„	„	„	κἀνταῦθ' pro κ' ἀνταῦθ'.
„	28	„	3	„	„	„	εἰς χάριν pro εἰςχάριν.

Pg.	31	vs.	10	a margine	inf.	leg.	grammatica pro gramatica.
„	35	„	17	„	sup.	„	Ἐκέλευσ' pro Ἐκέλευς'.
„	37	„	11	„	inf.	„	γάρ pro γὰρ.
„	39	„	2	„	sup.	„	recte pro verte.
„	41	„	15	„	„	„	Aeschylus pro Ayschylus.
„	42	„	3 et 4	„	„	„	ἄνθος pro ἀνθος et ἀνθὸς.
„	43	„	17	„	inf.	„	nusquam pro musquam.
„	ead.	„	12	„	„	„	aliis pro allis.
„	44	„	18	„	„	„	dicunt pro dicuot.
„	ead.	„	11	„	„	„	κάρα et γένειον pro καρά et γέονιον.
„	45	„	13	„	„	„	appellare pro apellare.
„	46	„	5	„	„	„	amplificatio pro amphificatio.
„	49	„	7	„	„	„	Philoctetam pro Philoctetem.
„	50	„	2	„	sup.	„	salse pro salve.
„	55	„	18	„	„	„	μαλλῷ pro μάλλῳ.
„	58	„	8	„	inf.	„	ἐγώ pro εγώ.
„	61	„	5	„	„	„	ὀργίζοιτ' pro ὀργίζοις'.
„	63	„	4	„	sup.	„	ἂν σεαυτὸν pro ἇ σεαυτὸ.
„	ead.	„	10	„	„	„	ξυνοικούντων pro ξυνεικούντων.
„	64	„	17	„	„	„	ἀψόφητος pro ἀψόρητος.
„	65	„	9	„	„	„	Erhandelt pro Er handelt.
„	71	„	8	„	inf.	„	Θηβαίας pro ϑηβαίας.
„	76	„	21	„	sup.	„	etiamne pro etiam ne.
„	78	„	7 et 8	„	inf.	„	quod-suberant pro ut-subessent.

Denique aliquoties u pro n, iamb. pro jamb. legendum est, commata delenda, syllabae melius distinguendae sunt.

Typis F. Hoffschlaegeri Berolinensis.

Typis F. Hoffschlaegeri Berolinensis.